6
41-d
7

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
30/4 D
14

6-41-d-7

Digitized by Google

6 - 41 - d - 7

Digitized by Google

12085. val. 10

Digitized by Google

Dono et liberalitate Auctoris.

AVGERI GISLENI
BVSBEQVI
EPISTOLARVM LEGATIONIS GALLICÆ LIBRI II.

AD

MAXIMILIANVM II. ET RVDOLPHVM II.

ROMANORVM IMPERATORES.

E BIBLIOTHECA

IO. BAPT. HOVVVAERT I. C.

PATRICII BRVXELL.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE



BRVXELLIS.
Apud IOANNEM PEPERMANVM, Bibliopolam iuratum, Typographumq́ue Civitatis ſub Biblijs aureis, Anno 1632.

Digitized by Google

12085. vol. 10

Digitized by Google

Dono et liberalitate Auctoris.

AVGERI GISLENI
BVSBEQVI
EPISTOLARVM LEGATIONIS GALLICÆ LIBRI II.

AD

MAXIMILIANVM II. ET RVDOLPHVM II.

ROMANORVM IMPERATORES.

E BIBLIOTHECA

IO. BAPT. HOVVVAERT I. C.


PATRICII BRVXELL.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE



BRVXELLIS.
Apud IOANNEM PEPERMANVM, Bibliopolam iuratum, Typographumque Civitatis ſub Biblijs aureis, Anno 1632.

Digitized by Google



BIBLIOTECA N.LE ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PER-ILLVSTRI DOMINO

D. FERDINANDO DE BOISSCHOT,

EQVITI ORDINIS EQVESTRIS S. IACOBI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Baroni de Saventhem, Toparchæ de Sterrebeke, Noſſegem, Erps, Quarebbe, &c.

A REGIIS STATVS SANCTIORIB. Q. CONS:

BRABANTIÆ CANCELLARIO,

& propræfecto Curiæ Feudalis.

NECNON.

NObiliſs. & Ampliſsimis viris Senatus Brabantiæ Conſiliarijs.

1. D. Carolo de Bourgeois Equiti aurato Toparchæ ejuſdem loci, &c. Principi Senatus.
2. D. Theodoro de Fourneau, dicto Cruyckenburch Equiti aurato Toparchæ Cappellæ S. Vlrici, &c.
3. D. Maximiliano de Viron.
4. D. Iudoco de Hertoge.
5. D. Roberto Aſſeliers Advoc. Fiſc.
6. D. Aurelio Auguſtino Malineo ſupremi navalis conſilij Conſiliario.

7. D

Digitized by Google

7. D. Georgio Vwens Equiti aurato.
8. D. Antonio de Griſe, Equiti aurato, Toparchæ de Relegem, &c.
9. D. Petro van Langhenhoue.
10. D. Io. Bapt. Maes Toparchæ de Lonchamps, Boucheual, &c.
11. D. Io. van Tulden.
12 D. Marco Emanueli de Bourgeois.
13. D. Ambroſio de Booms.
14. D. Carolo van Male.
15. D. Ioanni vande Velde.
16. D. Martino vanden Houe.

---

17. D. Henrico Wijtfliet Conſiliario & Procuratori Generali.
18. D. Liberto vanden Houe Subſtituto Procurat. Gener.
19. D. Ioanni vande Perre Graphiario.
20. D. Guilielmo van Gindertaelen Graphiario.

---

21. D. Ioanni Fourdin. 22. D. Io. Ant. Cools, I. V. L.
23. D. Steph. vã Steenhuyſe. 24. D. Philippo Maſtelijn.
25. D. Franciſco Happart. 26. D. Huberto Loyens.
27. D. Petro le Mire I. V. L. 28. D. Iacobo Gailliard.

EIVSDEM CONSILII SECRETARIIS.

PER-

BIBLIOTECA NAZ. Rc VITTORIO EMANUELE

PER ILLVSTRIS, AMPLISSIMI, *NOBILISSIMIQVE DOMINI.*

INter Reipub. pulchrè adminiſtratæ exempla clarus nuper fuit,& nomine ingenioque ſuo Belgarum ſimul famam extulit AVGERIVS GISLENIVS BVSBEQVIVS: tam exquiſitę vir prudentiæ ac ſuadæ, ut ſummis par negotijs,& Cæſaris non unius Legatus, res propemodum Europæ conſtanti ſemper virtute adminiſtravit.In tanto munere non linguæ tantùm ſed ſtili utens ſubſidijs,quę egit & obſervauit EPISTOLIS omnia quâ curâ,eâ elegantiâ commiſit. Harum aliquem nuper numerum collegeram;ſed ut ſpecimen magis operis,quam opus eſſet:imò in lucem emiſeram;ut quodam velut guſtu publica iudicia provocarem. Quantũ placuerit omnibus hic viri genius, hæc Legati imago, hoc rerum ſimulacrum,ternæ eodem pœnè anno editiones oſtendêre: accenſam magis quam expletam legentium auditatem dixerim.Publico hoc igitur deſiderio monitus,& favore incitatus, nouas ſubire curas volui,& pleniſſimâ manu liberalitatem profiteri.Auctum ecce theſaurum profero:EPISTOLAS,inquam,omnes, quotquot haberi potuerunt:dignas omnes quæ legantur

tur omnibus & æſtimentur; ſive Auctorem ſive Argumentum intueamur. Et Auctorem quidem Argumentum, Argumentum Auctor commendat: ille rarus, & nonniſi Mercurij appellatione exprimendus: hoc eximium, quia politicum, & â politico maximè homine tractatum. Quid non ſciuit, quid non præſtitit? Duabus Aſiaticis, totidéque Gallicis Legationibus inclitus, unus potiſſimum ſcribendo docuit, quę, & quomodo ſcribere Legatum oporteat: ſelectiſſima, optima, utiliſſima; breviter, prudenter, eleganter. Et quę iſta? Regnorum fundamenta & fulcra, vitia & defectus: Principum mores, affectus, ſtudia: in pacem an bellum inclinati ſint, & quibus ſubſidijs inſtructi regant. Quę fœderum ratio, quæ ærarij vires, pecunię fontes & rivi, populi voluntates ac factiones: quâ lege cives, diſciplinę milites contineantur. Ad ſummam quicquid vel conſilijs occultum eſt, vel rumoribus ſuſpectum, vel actionibus publicum EPISTOLAM facit. Prorſus tamquam non unius hoc hominis munus ſit, & oculus Principis ſui abſentis, & auris & manus Legatus eſt; ut videat omnia, audiat, agat diſcat uſu, quomodo ſingula agenda ſint; magis autem humanitatem & prudentiam, quam factum & verſutiam valere. Difficultas hîc uerò naſcitur & meum præcipuè inſtitutum tangit: An quæ à Legato ſcripta ſunt ut ſolus Princeps ſciat, produci in publicum debeant, ut ab omnibus legantur? Dicent nonnulli, nequaquam.

quæ

quæ ſecreta ſunt,& imperiorum arcana continent, vulganda eſſe; EPISTOLAS eſſe quæ ſecreta pandant: nequaquam iudicia, de Principibus privatim inſtituta, ad populum traducenda; EPISTOLAS eſſe, quę tamquam cenſuræ videantur. Breviter: & arcana iſta, & iudicia nõ unius generis ſunt. Hęc quidẽ vel de Principibus ſunt, qui adhuc ſuperſtites; vel de ijs, qui viuere pridem deſierunt ſuperſtitibus ſilentij veneratio debetur: pridem extinctos nemo veritatis profeſſione lædit; præſertim ſi non carpendi ſtudio, ſed monendi candore, quæ privatim aliquando vel dicta vel facta, à Repub. ſeparari nequeunt, poſteris repræſententur. Arcana ſimiliter vel patriæ commodis detecta obſunt, vel nihil omnino noxę adferunt: quaſi dicam, arcana interdum utilia fieri, quando arcana eſſe deſinunt. Quâ quidem ratione Politicę doctrinæ pars eſt, reſerare penetralia Principum rerumque publicarum, ac depromere quæ in notitiam protracta, cautiores deinceps ac feliciores mortales faciant. Gallos paſſim Italoſque videamus: exemplo ſuo docent, quid ubique & potiſſimum nunc apud Belgas, omnium quaſi nationum virtute dotatos, fieri fas ſit. Vtrique enim illi arcanorum politicorum libris editis clari, Legatorum Inſtructiones, Epiſtolas, Relationes, aliaque hujuſmodi publicę luci nequaquam inviderunt: utpote è quibus plus interdum quàm ex ipſis haurire Hiſtorijs liceat; imò è quibus hæ ipſæ vel concinnari

Digitized by Google

vel corrigi queant. Verum non tantum mihi ſumo, ut litem hanc finiam aut definiam. Vos PERILLVSTRIS, AMPLISSIMI, NOBILISSIMIQVE DOMINI Patronos lego, vos conſtituo Iudices, ac veſtro controverſiã arbitrio ſubmitto. Quia nomine veſtro, gentilitijſque inſignijs præmunitum hoc opus erit & fulgens; facile quicquid obſcura obijciet obtrectatio, diſſipabit. Erit autem monumentum, ære & auro perennius, & non interituram obſeruantiam meam, obſequium, cultum loquetur. Bruxellę, XVI. Kal. Auguſti. cIↄ.Iↄc.xxxII.

Per illuſtri Nomini, Virtuti, Dignitati veſtræ æternum deuotus cliens.

IO. BAPT. HOVVVAERT.

Digitized by Google

ERYCIVS PVTEANVS

AD EPISTOLAS BVSBEQVIANAS,

A N. V.IO. BAPT. HOVWAERTIO, I. C

colleĉtas editaſque,

LECTOREM INVITAT.

SI non pigendi ſubſeciuam temporis,
Partem locare ſuſtines,
Prudentis has EPISTOLAS *BVSBEQVII,*
Pleno uiriles agmine:
Totumq́ in his ſuperſtitem, LECTOR, *vide*
EPISTOLIS *BVSBEQVIVM.*
Sic ille, poſtquàm barbaras Thracis minas
Legatione flexerat,
Numquam quietæ arcana ſcripſit Galliæ
Et Belgici belli faces.
Sic ille Cæſaris ſui negotia,
Rerum fidelis arbiter,
Exempla fieri voluit; ut per omnium
Irent manus mortalium,
Irent labore induſtriaque HOVVVAERTII;
Per ora & ipſe HOVVVAERTIVS.
Debemus haſce, quas vides EPISTOLAS
BVSBEQVII, HOVVVAERTIO:
Debemus omnes, aura quos famæ capit,
HOVVVAERTIO *BVSBEQVIVM.*

Digitized by Google

AVGERI GISLENI
BVSBEQVI
LEGATI CÆSAREI
EPISTOL. LIB. I.
AD
MAXIMILIANVM II.
ROMANOR. IMPERAT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA I.

HEri qui dies fuit Auguſti xxi. veni Spiram, Saltzburgi ſubſtiti diem unum, quo valetudini conſulerem; eâdem de causâ Auguſtæ item diem unum. Nam tertiâ à Viennâ, ut ita dicam, poſtâ, mihi copioſus ſanguis unà cum urinâ fluere cœpit, ſine ullo tamen doloris ſenſu, aut alicujus

Digitized by Google

partis graviore incommodo. Saltzburgi & Auguſtæ conſulti medici, non putaverunt eſſe negligendum, ne majus incommodum ſequeretur, ſed quiete aliquot dierum ſuccurrendum. Mihi adhuc cauſa viſa non eſt cur de tempore itineri debito multùm intermitterem: ſed cum id quicquid eſt incommodi motu & calore conciliari ſentiam, ſtatui diem item craſtinum hîc commorari, ne fortaſſe præpoſtera diligentia, longioris moræ cauſam adferat. Iter per Belgium non ſum facturus, ne ad hanc tarditatem ille quoque circuitus accedat. Metas hinc rectà petiturus ſum, mediocribus itineribus propter illud quod dixi valetudinis incommodum. De Rege Galliæ ubinam ſit nihil hîc indagare poſſum, ſpero quidem me ejus adventum ad Remos (nam eò rectà iturus dicitur) anteverſurum, quod eam urbem in eâ regione quâ mihi ſit iter faciendum ſitam arbitror. Quom Monacum tranſirem, miſit ad me Dux Cæſ. M.tis V. ſoror, quæ modò peregrè neſcio unde redierat. quæ ex me diligenter de Cæſ. M.tis V. ſacratiſſimæque conjugis & liberorum valetudine, quæſivit: deditque mandata ad Reginam Galliæ, & ad eandem poſtridiè litteras Auguſtam ad me miſit. Hodie ſum cum quodam locutus, qui ſatis recens à Principe Aurengiæ veniebat; is ajebat operâ Domini d'Aldegonde captivi Regii, cum Aurengiano de pace agi cœptum eſſe, quem quidem vehementer ad pacem propendere videri volebat;

Digitized by Google

bat; ſed eas civitates quæ ſe ei dediderant ab eâ vehementer abhorrere. adeò ut extrema ſubire mallent, quam aut ſe Hiſpanis credere, aut Aurengianum à ſe dimittere. Idem oppidum Leyden fame adductum brevi ad deditionis conditiones deſcenſurum ajebat. Non quidem Principis culpâ, ſed ejus populi, qui ſæpe admonitus ut ſibi in tempore de commeatu provideret, obſtinatè neglexiſſet. Idem ajebat claſſem Hiſpanicam, ſi modò ventura eſſet, ſupra Scotiam facturam iter, cui Aurengius eâ in parte inſidias poſuiſſet; falſis indicijs ſigniſque quo in loca vadoſa incideret diſpoſitis. quæ etſi fortaſſe non magni ſint momenti, tamen nihil obfuturum putavi, ſi ad Cæſ. M.tem V. perſcriberentur; haud dubitans quin pro ſolitâ ejus clementiâ in meliorem partem acciperet. cui ego me humilimè commendo, & Deum oro ut eam conſeruet incolumem. Auguſtæ xxii. Auguſti, cIↃ. IↃ. LXXIV.

EPISTOLA II.

DIe II. Septembris veni in oppidum quod Meaulx vocant XIV. à Lutetiâ miliaribus, tardius facto itinere propter penuriam equorum veredariorum: nam quod Rex iam venerat Lugdunum ferè à ſuis ſtationibus ad illud iter erant traducti, itaque iam biduo &

Digitized by Google

totidem noctibus ſecundo flumine Matronâ navigabam, ſed cum illud ſinuoſioribus flexibus in Sequanam propè Lutetiam illaberetur, neceſſariò mutanda fuit itineris ratio, & ad terram redeundum. ſed cum nulla neque equorum neque curruum facultas eſſet; miſi Lutetiam qui equos aut currus conquirerent deque diuerſorio nobis viderent. quod cum eſſet à Reginâ Cæſ. M.^{tis} V. filiâ cognitum, illa duos de ſuis curribus ad me miſit; quibus unà cum meo comitatu quarto die ejuſdem menſis in urbem acceſſi: quo die me quieſcere Regina voluit, poſtridie ad eam ſum accerſitus. Vidi eam ſanam & bellè valentem, niſi quod in fronte parùm lœtâ, præteriti caſus etiamnùm veſtigia reſtabant. Illa mihi perſequenti quæ mea inſtructio ferebat, reſpondit ſibi gratam eſſe Cæſ. M.^{tis} V. memoriam, quodque ſe conſolatam & inviſam voluiſſet; eoque nomine habere gratiam, meritò facere Cæſ. M.^{tem} V. quod viri ſui caſum graviter ferret; quandoquidem nihil ei fuiſſet M.^{te} V. carius, neque quicquam habuiſſe antiquius, quam ut Cæſ. M.^{tis} V. voluntati in rebus omnibus obſequeretur & inſeruiret. Dein accuratiſſimè de Cæſ. M.^{tis} V. valetudine quæſivit. Quum verò eò veniſſem ut dicerem ei æquo animo ferendam eſſe moram dum Cæſ. M.^{tas} V. de ejus manſione aut deceſſione è rebus futuris ſtatueret. appoſitè reſpondit, ſe nihil cupere niſi quod eſſet ex re & voluntate Cæſ. M.^{tis} V. quo peracto collo-

colloquio ſum dimiſſus. poſtridiè Regina denuò me vocari juſſit: ibi in vario ſermone cùm, occaſione ex divulgatis rumoribus quæſitâ, dixiſſem; eſſe multos qui illam novo Regi futuram uxorem augurarentur, quod ègo ſanè neque à Cæſ. M.tis V. neque publicis rationibus alienum exiſtimarem; illa ſic reſpondit ut eum ſermonem minimè ſibi jucundum eſſe facilè intelligerem: ſed tamen nullius pertinaciæ indicium daret, facileq; appareret in poteſtate Cæſ. M.tis V. futuram, neque per eam ſtaturum quo minus Cæſ. M.tis V. commodis & voluntati ſatisfieret. Attigi etiam de negocio Conſtantinopolitano, quemadmodum mihi Cæſ. M.tas V. mandarat; cujus illa ſe memorem fore dixit ubi Regina ſenior revertiſſet: quo tempore meæ partes erunt id ipſi in memoriam redigere. Tertiò eam acceſſi ut rogarem quandoquidem me Cæſ. M.tas V. eâ potiſſimum de causâ illò miſiſſet, ut ei inſervirem; ne gravaretur hoſpitiorum deſignatoribus mandare ut mihi in viciniâ de commodo hoſpitio providerent. quod illa ſtatim imperavit. De reliquo nihil hîc eſt valdè memorabile. Rex hodie Lugdunum venturus putatur, ubi eum Regina mater, Alençonius & Vendomius jamdiu expectant. Durant apud Pictones & loca finitima turbæ, ad quas aut vi aut gratiâ componendas, Rex ſe comparare dicitur; conductis quinque Helvetiorum millibus, equitatu item Germanico atque aliquot ſclo-

petariorum Italicorum millibus. Dum Rex abeſt parum hîc video futurum negocij; itaque nî verear ne præter decorum faciam, libens excurram in patriam ad aliquot dies. ſed non poſſum ſtatuere utrum id mihi liceat, quod verear quam in partem iſti accepturi ſint: nam mihi datam à Cæſ. M.te V. veniam memini. Memoranzius unà cum Coſſeo etjamnum in Baſtillâ (quam vocant) detinetur, cuſtodiunturque ambo à populo tantâ acerbitate, ut eos ne prætereuntes quidem ſine periculo ſalutare poſſint. Venit huc Heri Magiſter Ioannes Coquus, cujus infortunium mihi magno dolori fuerat. Hodie detuli litteras quas attulerat ad Reginam, quibus illa ſubitò reſpondit. Ego me Cæſ.M.ti V. &c. Lutetiæ x. Septemb. cIↃ. IↃ. LXXIV.

EPISTOLA III.

SCripſi à paucis diebus quæcumque ſcribenda occurrebant, per viam Bruxellenſem; nunc ſcribo occaſione magis motus quod ſit qui commodè perferat, quam quod habeam quod valde dignum ſit ſcriptione. Rex venit Lugdunum VI. die hujus menſis, ab ejus exercitu obſidetur oppidum quod Nove vocant XII. à Lugduno milliaribus, quod expugnatu facile futurum judicant, propter iniquitatem ſitus quod ex conti-

cõtiguis collibus in id undiq; deſpectus dejectuſq; pateat. Terret tamen nonnihil ea pertinacia, quâ hactenus Regis aduerſarii in propugnandis locis quos inſederant ſunt uſi. Monpenſerius obſidet oppidum Fonteney, obſeſſi jam de deditione conveniſſe cum Monpenſerio dicebantur, ſed milites obſidentes recuſaſſe, maluiſſeque periculum adire vi expugnandi, quo prædâ potirentur: itaque in incerto ſunt eventu. magna vis eſt deſperationis, & ut ut cadat, ſpolia nonniſi cruenta lecturos arbitror. Ajunt Regem antequam veniret Lugdunum retuliſſe ad conſilium, nùm militem Italum quem cuſtodiæ causâ ſecum adduxerat, remitteret, ac fuiſſe in eâ ſententiâ Pybrachum, quem M.tas V. Viennæ vidit, ut remittendum putaret. Quâ ſententiâ offenſam Reginam ubi Lugdunum veniſſet, Pybrachum huc ad ſuum officium redire juſſiſſe, nam hîc Regni Advocatum agit. Reginæ putant placere bellum, quod ejus autoritati retinendæ ita conveniat. Danvilla ut ajunt haud commodo reſponſo à Rege accepto, Turini remanſerat; nunc accerſiri à Rege dicitur, ea res multis ſuſpicionem movet. Regem putant vix bimeſtri Lugduno ſe illiſque negociis explicare poſſe: interea hîc negocia frigent. Ego Regem & Reginam matrem de rebus quæ hujus temporis ſunt ad Cæſ. M.tem V. ſcripturos arbitror. Nuptiæ certè Regis cum C. M.tis V. filiâ omnium votis totiuſque populi ſermone deſignantur, celebran-

lebranturque. Comes de Balen poſtquam infeſto itinere diu apud Vaſcones deſederat, tandem convertit iter Lugdunum. Ego me C. M.ti V. &c. Lutetiæ XVII. Septemb. cIↄ. Iↄ. LXXIV.

EPISTOLA IV.

Binas ad Cæſ. M.tem V. litteras dedi ab eo tempore quo huc veni, unas quas miſi Bruxellam, alteras quas dedi familiari cuidam Ducis Bavariæ ex Hiſpaniâ hac iter habenti ſcriptas XVII. die hujus menſis. nunc commodùm ſe offert Magiſter Ioannes, qui has ſit C. M.ti V. redditurus. Decretum eſt Regi bellare potius quam ut geminam in ſuo regno religionem patiatur, aut ea oppida ſibi non reſtituantur quæ rebelles occuparunt: in quibus illi contra, ſeſe pugnantes morituros profitentur, cum nulla niſi in mœnibus fortique deſperatione ſpes eis ſalutis reliqua ſit. Sic Rex denuò lento ſe implicat negocio, neſcio an neceſſario. Fontenay de quo nuper ſcripſeram, tertio oppugnatum incurſu, in poteſtatem venit; magnâ cùm obſeſſorum, tum obſidentium cœde. Hinc Luſignanum petitum iri putant. ea eſt arx non contemnenda, quinque à Pictavio milliaribus, in ſaxo ſita, ſatis difficili acceſſu: hæc rurſus Monpenſerii militem aliquamdiu remorabitur.

atque

atque ut minutiora hujuſmodi loca haud difficulter recipiantur; reſtabunt certè Mons Albanus, Naumuſium, Rupella & alia nonnulla oppida, in quibus recipiendis plus erit difficultatis. Interea multa evenire poſſunt, qualia tempus producere ſolet; ex quibus multò alius quam ſperabatur rerum exitus conſequatur. Sed magno animo in hoc bellum Rex ingreditur maternis, ut putant, impulſus conſilijs. Promulgatum his diebus fuit edictum, quo omnes qui profugerunt impunitate promiſsâ intra ſex menſes domum revocantur, quo ſpacio ſi edicti beneficio uti noluerint in proſcriptorum hoſtiumque numero habeantur. Hoc edictum verendum eſt, ne iis qui Regi fidem non habendam putabunt, pro belli tubâ ſignoque ſit quo ad arma concurrant. Illuſtres quædam familiæ vt Rambuglietorum & Deſtreorum cum multorum admiratione ex aulâ faceſſere domique ſe continere juſſæ. Digredienti Duci Sabaudiæ Rex duorum oppidorum, quæ ejus præſidiis adhuc tenebantur Savillani & Pinaroli, ſi ſatis recordor, gratiam feciſſe dicebatur. Sed huic rei importunè mors ejus conjugis intervenit, quæ voluntatum mutationem aliquam adferre poſſet.

De negocio cujus causâ huc præcipuè miſſus ſum, nimirum de Reginæ duario aſſignando, nonnulla me cura tenet; quod reditum Regis tardiorem futurum ſuſpicer, neque hîc interea negocii quicquam geri poſſit,

B atque

Digitized by Google

atque ipſa Regina rerum omnium ſuique ſtatus incerta, non ſine aliquâ ut eſt veriſimile animi ægritudine diſtineatur. Nam Regem quidem non deſunt qui putent deſcenſurum Avinionem, ut bello quod eſt in manibus ſit propinquior; quâ ex re conjecturam faciunt, illum hîc totis ſex menſibus affuturum. quod ſi ita erit, Reginæ quidem interea quod ſatis eſt proſpectum eſt; ſed neſcio an M.ti V. ſatis decorum ſit eam cum ad id loci redacta ſit, ut ex M.tis V. conſilio atque autoritate potiſſimùm pendere debeat, quaſi totam alieno arbitrio permitti, tacitamque & quietam veluti expectare, dum ad ſecundas nuptias repetatur. Mihi quidem convenire non videtur, neque puto reliquarum Reginarum viduarum propinquos, tanto ſpacio, quanto credibile eſt abfuturum Regem, illarum causâ nihil ſuſcepiſſe aut egiſſe. Cæſ. M.tas V. quid opus ſit facto, diſpiciat. An ad Regem iri, quod ſine aliquo ſumptu fieri non poteſt, an ad eum ſcribi placeat, an expectare dum quandocunque tandem huc ſe recipiat. Mihi quidem, ſi dicere licet quod ſentio, Regi plus negocii impendere videtur quam cogitet. Nam ut ei optimè procedat magnamque rebellium partem in ordinem cogat, non tamen puto eum tantum poſſe efficere hac hieme, ut non multùm reliquiarum ſuperſit. fieriq; interea poteſt, poſtquam ejus copiæ jam, ut ita dicam, defloruerunt, bellumque & rerum penuria, tempus item hie-

mis

Digitized by Google

mis eas magnâ ex parte, ut fieri ſolet, attriuerit, fieri inquam poteſt, ut illi Optimates qui nunc in Germaniâ exulant, copias cogant, cauſæque ſuæ ſubſidio veniant; atque ita rurſus tota Gallia bello ferveat; incerto & periculoſo eventu propter occulta partium ſtudia, plurimorumque à Rege voluntatum alienationem. cujus conjecturę faciendæ non parvam occaſionem mihi dedit, dum tranſirem Keyſerſlautren in ſermone quem mecum habuit quidam Palatini & Caſimiri familiaris. eorum quos dico exulum duæ res potiſſimùm videntur impetum cohibuiſſe nę arma caperent; una quod non eſſent prorſus extra ſpem, Regem cum ſuæ factionis hominibus mitius acturum, ejuſque rei eventum videre cuperent: altera quod duo Conneſtabilis filii, haud poſtremi ordinis inter eos, ſi ſe moverent, haud dubiè eam rem capto fratri Memoranzio, perniciem maturaturam viderent, ita apertè denunciante & teſtante Reginâ. Illud etiam fortaſſe movit, quod non putarent cum Rege florentiſſimis inſtructo copiis concurrendum, mallentque ſuum tempus expectare. ſed hæc hactenus. His paucis diebus venit ad me vir quidam honeſtus Regis Conſiliarius, is librum mihi reddidit quem Cæſ. M.ti V. mitterem, M.ti V. ab autore inſcriptum & dedicatum. autor Epiſcopus Ayrenſis Fluſſas ſiue de Fois, Regi ab arcanis conſiliis, ſenex nobiliſſimus & doctiſſimus Cæſ. M.ti V. arctâ propinquitate

conjunctus. Nam ejus pater, ut ipſe in epiſtolâ teſtatur, aviæ maternæ M.[tis] V. fuit frater. Fratrem habuit majorem natu Comitem de Candala, is mortuus eſt ſuperſtite filio, qui neſcio quâ in expeditione, quam Regis auſpiciis Danvilla faciebat, ſclopeto in capite ictus occubuit; relictis ſolis duabus filiabus. quarum major ad quam ejus gentis hæreditas redit apud aviam maternam Conneſtabilem educatur: nam earum pater unam de Conneſtabilis filiabus in matrimonium duxerat. Sed ut ad Epiſcopum redeam, vir eſt cùm in aliis diſciplinis, tum in Mathematicis eruditiſſimus; adeò ut qui hîc Mathematicen ipſam profitentur, ei primam laudem in eâ ſcientiâ tribuant. Is Mercurium Triſmegiſtum antiquiſſimum ſcriptorem, adeò ut quidam Moyſis ipſius æqualem faciant, de Græco in Latinum tranſtulit; qui nunc ad Cæſ. M.[tem] V. venit. eundem tranſtulit etiam in linguam Gallicam, quem Reginæ ſeniori dedicavit. Ad hæc ſcripſit in eundem commentariorum libros V. eâdem linguâ Gallicâ, opus, quemadmodum teſtantur qui viderunt, inſigne, id ſub nomine Reginæ Cæſ. M.[tis] V. filiæ in lucem exibit. Plurimùm Cæſ. M.[ti] V. ſupplico, ut cùm reſpondebit, ita accepti libri mentionem facere dignetur, ut ſibi gratum munus fuiſſe oſtendat; quo benè poſitam operam bonus ille ſenex gaudere poſſit. Nam id caput oſtendam iis qui mihi librum ejus nomine reddiderunt. De Reginæ ſtatu nihil eſt

quod

quod ſcribam, quod non ex ejus litteris Cæſ. M.tas V. intellectura ſit. unum hoc mihi prætermittendum non puto, ſummam eſſe hîc rerum omnium caritatem; preſertim earum ſine quibus vivi non poteſt; panis, vini, lignorum & hoſpitiorum : cui caritati iis ſumptibus quos mihi M.tas V. decrevit nullo pacto par eſſe poſſum. tolerabo quidem ut potero hunc dimidium annum, ab eo tempore ſpero mihi Cæſ. M.tis V. benignitatem non defuturam. Poſtremo loco cum tantum abeſſe videam Regis adventum, ac ſine ullo Reginæ incommodo aliquot diebus abeſſe poſſim; ſtatui cum bonâ ejus veniâ, uti Cæſ. M.tis V. beneficio, & iter quod jamdiu in patriam meditatus ſum perficere, tantumque rebus meis componendis abeſſe, dum ad has litteras clemens à Cæſ. M.te V. reſponſum Bruxellam relatum fuerit. Nam non aliam ad reſcribendum Cæſ. M.ti V. commodiorem viam futuram puto. His finem faciam ſi Deum prius oravero ut Cæſ. M.tem V. nobis totique Reipub. Chriſtianæ quamdiutiſſime ſervet incolumem. Cui ego &c. Lutetiæ XXVIII. Septemb. CIↃ. IↃ. LXXIV.

Memorantius in eodem carcere etiamnum detinetur; Coſſæo propter morbum permiſſum commodius hoſpitium. in quo arctiſſimis cuſtodiis aſſeruatur.

Neſcio an & illud adſcripſiſſe ſit operæ precium, ſi Cæſ. M.ti V. eſſet in animo ad Regem iri, poſſe eâdem

operâ eodemque diſpendio ad Ducem Sabaudiæ M.[tis] V. mandata, ſi qua danda videbuntur perferri. etenim Turinum haud longè abeſt Lugduno: Avinioni verò etiam aliquanto, ut opinor propinquius.

EPISTOLA V.

SCripſi proximè per Mag. Ioannem quæ ſcribenda ſe offerebant; interea nihil accidit ſcriptione dignum, niſi quod quorundam litteris Lugduno huc ſcriptum eſt, actum eſſe in eâ aulâ de aſſignando Reginæ Chriſtianiſſimæ duario, eique conſignatum eo eomine Ducatum Bituricenſem, vulgò la Duché de Berri, qui tamen in rebus ſtabilibus quæque fundi ſunt non tantum reddit, ut duarij ſummam quotannis efficere poſſit; vbi reliquum aſſignetur incertum in viciniâ certè aſſignari debebat. Ipſi Reginæ de hoc toto negocio nihil ſignificatum, tametſi ad eam Rex aliquoties, Regina ſenior iam ſæpius ſcripſerit. Hæc fama quam dico de duario; me retinet quò minus in patriam quemadmodum conſtitueram profectus ſim: verentem ne mea præſentia eâ de causâ fortaſſe deſideraretur. De Regis adventu nihil adhuc eſt certi, ſunt qui diutius abfuturum abiturumque etiam longius: reliqui id ſimulari putant, quo nobilitas potiſſimùm aulica

lica

lica æquiore animo in caſtra proficiſcatur quod Regem brevi ſubſequuturum arbitretur. Ego nihil in alterutram partem affirmare poſſum, nouus huc veni, procul ſum ab ijs locis, nihil adhuc ſcribere poſſum quam rumores opinioneſque hominum; in quo ſi quid aliquando me fallit, nec reſpondet eventus, veniâ me dignũ puto,& eam mihi Cæſ. M.tem V. daturam ſpero. Regis exercitus vna pars Ponſinum obſidet, id eſt caſtelli nomen quod ad Rhodani ripam communierunt Hugonotti, paulò, ut opinor, infra Viennam, non multis à Lugduno milliaribus. Altera pars quæ cum Monpenſerio eſt, obſidet Luſignanum; in quo circiter Ioc. milites cc. Nobiles ineſſe dicuntur. Præcipuus rebellium dux la Noue, Rupellæ eſſe dicitur cum tanto comitatu, ut in ſuâ poteſtate eam civitatem futuram putent. De Danvillâ quoque ſunt qui neſcio quam narrent hiſtoriam: illum cum ſe ad necem queri intelligeret, mari ex Sabaudiâ trajeciſſe Montempeſſulanum ſuæ provinciæ vrbem, quam vnà cum vicinis aliquot ad defectionem impuliſſet: ſed de hoc nihil certi, ac ſuſpicor alicuius eſſe commentum. Ego me &c. Lutetiæ....... Octobris cIↃ.IↃ.LXXIV.

EPIS-

EPISTOLA VI.

SCripſi proximè ad Cæſ. M.tem V. per ſervum à pedibus quem miſi Bruxellam, ut Cæſ. M.tis V. litteras quas expecto ſecum referret. ab eo tempore hoc intervenit novi, quod Regina initijs quibuſdam invaletudinis & ſuſpicione morbi non caruit, id incommodi incepit à vomitu, & totius corporis inflammatione atque pruritu, nec nocturna ſitis abfuit. Adhibiti medici dixerunt eſſe bilis in ſanguinem effuſionem commixtionemque, ex quo ſine dubio periculum febris immineret, niſi maturè adhibitis remedijs obſiſteretur. itaque expurgatione ſunt vſi & miſſione ſanguinis, quibus rebus prouiſis, Regina melius habere cœpit; nec ſunt extra ſpem Medici ſe aditum graviori morbo præcluſiſſe, quemadmodum ego ſanè ſpero. Ipſa Regina eſt animo bono, nec ſibi quicquam ad priſtinam valetudinem deeſſe arbitratur. Volui tamen de eo quicquid eſſet, certiorem factam Cæſ. M.tem V. Comes de Bailé à paucis diebus Lugduno huc acceſſit, ut Regis Catholici nomine Reginam conſolaretur. quo officio erga Regem Reginamque ſeniorem Lugduni iam functus erat. Burdegalæ eum diu detinuit periculum quod ei itineri portendebatur, nec niſi cum

gra-

graviſſimo diſcrimine Lugdunum deflectere potuit, itineribus paſſim ab hominibus qui eum intercipere volebant, inſeſſis; nunc in dubio eſt quà ſit reverſurus: videturque magis inclinare ut longiore circuitu modò ſecuriore, ſe recipiat in Hiſpaniam. Tenetur etiam Belgici aliarumque regionum videndi deſiderio. Hodie factus ſum certior venire huc Lugduno Pybracquum, ex quo de rerum illarum ſtatu multa cognoſci poterunt. is etiam dicitur habere à Rege ad me mandata de negocio aſſignandi Reginę duarii, quicquid erit cum audiero, faciam de eo Cæſ. M.tem V. certiorem. Ponſinum quod obſidebatur venit in poteſtatem Regis; elapſis, ut mihi quidam affirmant, nocturnâ fugâ propugnatoribus. Danvilla nunc eſt in ſuſpicione nam ad eum duo Vicecomites Montempeſſulanum veniſſe dicuntur, communicatum belli conſilia. unum de iſtis Vicecomitibus arbitror eſſe D. de Munbrun: alterius nomen non audivi. Is etiam Danvilla tentaſſe inſidiis Avinionem exiſtimatur; itaque eum putant novorum tumultuum fore autorem, inclinantemq; ad æquitatem & manſuetudinem Regis animum, ut videtur ex edicto quod mitto ad Cæſ. M.tem V. denuò exacerbaturum. Sic incertum eſt quando tandem malorum ſuorum finem Gallia viſura ſit, aliis ex aliis ſubinde naſcentibus ferentibuſque ſe miſeriarum cauſis. De Regis adventu rumores incerti, quique indies mutantur. ego ea certiſ-

ſima putabo quæ ex Pybracquo cognovero, de quibus ſtatim faciam Cæſ. M.tem V. certiorem. Cui ego me, &c. Lutetiæ pridie Kal. Novemb. cIↃ. IↃ. LXXIV.

EPISTOLA VII.

POſtremis litteris quas dedi ad Cæſ. M.tem V. ſcripſi quis eſſet ſtatus Chriſtianiſſimæ Reginæ M.tis V. filiæ, quod ad valetudinem attineret; & quemadmodum medici adhibitis remediis febrim excludere conati eſſent. Sed non habuit ea res eum eventum quem ſperabamus: ſi quidem paucis poſt diebus, cum interea Regina nihil incommodi ſenſiſſet; haud obſcuris indiciis morbus erumpere atque ita invaleſcere cœpit, ut iteratis medicamentis & novâ miſſione ſanguinis fuerit opus; quo tempore ſanguis fluxit depravatiſſimus, & qui magnum morbum portenderet; adeò ut medici de ſalute penè ipsâ, nedum de morbi magnitudine, ſolliciti; aliquot primi nominis Pariſienſes medicos ſibi adſciſcerent, cum quibus de remediis quæ adhibenda eſſent conſultarent. ſed poſtremò morbus intra periculum conſtitit, atque ita quinto die minui cœpit, ut ſeptimo (qui dies fuit Dominicus) planè quidem liberam à febre Reginam reliquerit; ſed non tamen prorſus ſollicitudinis expertes medicos, quod ex urinis haud

leves

Digitized by Google

leves morbi reliquias & non dubiam manere obſtructionem, quæ morbi cauſa fuiſſet, ſignificaretur. His illi nunc purgandis morbi reliquijs operam dant: Reginâ quod febri careat nullum morbum pertimeſcente. Atque hoc quidem negocium Dei benignitate haud malè ſe habet. Sequitur aliud in quo Cæſ. M.tis V. mandata, expreſſaque voluntas deſiderantur. Ajunt initio Ianuarij proximi Reginæ aſſignatum iri duarium, quod vocant, cumque hactenus Regina publicis ſumptibus vixerit, ab eo tempore ei vivendum fore ſuâ quadrâ, & duarij ſui fructibus. in quo multa ſe offerunt quæ ad Cæſ. M.tis V. curam pertineant; Imprimis ut M.tas V. ſtatuat unde ſumatur pecunia quâ alatur Regina, antequam ex ſuis redditibus aliquid percipiat: deinde an hîc manere aliquamdiu Reginam velit, dum fortaſſis mitius tempus verque appetat; an ſtatim eam revocare. Quod ſi iſtud placeat, ſtatuendum erit Cæſ. M.ti V. de totâ ratione itineris, quibus impenſis, quo comitatu, quâ & quam in partem traduci eam placebit. ſin id tam citò fieri non poſſit, & hîc menſibus aliquot relinquenda videatur; tamen ſtatuendum erit, an hîc manere eam placeat, an ſe recipere in locum ſibi aſſignatum. Nam hoc quidem indubitatum eſt, multò minore ſumptu victuram domi, ut ita dicam, ſuæ, quam hîc; ubi eſt rerum omnium ſumma caritas. & eſt perquam opportuna ei rei domus in Ducatu Bituricenſi, quam Remoran-

Digitized by Google

tin vocant, in quam ipſamet Regina mater aliquando ſe recipere in animo habuiſſe dicitur; ut taceam quod viduali ejus ſtatui, hoc fortaſſe non minus conveniret. Quod ſi id probetur Cæſ. M.ti V. hic rurſus definiendum erit, quos viros, quas item mulieres ſecum habeat; & componenda erit totius domus & familiæ ejus ratio. de quibus rebus omnibus & alijs quibuſcumque quæ eò pertinere poſſint, Cæſ. M.tis V. mandata expecto. Quod ſcripſi ſuperioribus litteris aſſignatum iri Reginę Ducatum Bituricenſem, & quod item nunc ſcribo à Kalendis Ianuar. vivendum fore ſuis ſumptibus; id quidem ſcribo ex communi opinione & famâ. nam neque ad ipſam Reginam, neque ad Comitem de Flieſco, neque ad me ullum verbum. ſed tamen tam veriſimile eſt atque ita percrebuit fama, ut neque Comiti neque mihi quicquam de eo dubitandum videatur. Scripſit quidem ad me Lugduno quidam Pybracqui neceſſarius, Pybracquum brevi adfuturum, cum mandatis à Rege, ut de his rebus omnibus mecum agat. ſed is nundum venit, expectatur quidem indies. quæcumque hauſero ex ejus ſermone, de ijs faciam primo quoque tempore Cæſ. M.tem V. certiorem; has interea præmittere non eſt viſum à re alienum. Quod ad eum rumorem attinet qui initio totam Galliam pervaſerat, ductum iri à Rege uxorem Cæſ. M.tis V. filiam, is jam magnà ex parte refrixit, & ſunt autoritatis non contemnendæ homines,

mines, qui hujus rei cauſam conferunt in Sorbonam quam vocant, id eſt in hujus vrbis Theologorum concilium; ſiquidem iſti, cum Rex Angliæ Henricus VIII. matrimonium, quod cum defuncti fratris viduâ contraxerat, in dubiũ revocaret, irritumq, fieri cuperet: iſti inquam Theologi, eo tempore conſulti num illud matrimonium jure & piè contractum putarent, impulſu Regis Franciſci, cupiditati Regis Angliæ morem gerere cupientis, quod ſuâ maximè intererat hujus matrimonij diſiunctione, diſiungi etiam animos Caroli Imperatoris & ipſius Henrici, pronunciarant illud matrimonium illicitum & incæſtuoſum; contra ſententiam reliquorum omnium & Theologorum & I.C.torum, qui de eo ſententiam rogati fuerant. Id decretum tam alienum ab opinione communi, ſatis habuit Rex Franciſcus tranſmitti in Angliam; cæterum hîc quam-maximè ſupprimi voluit. Sed Anglus quo cauſæ ſuæ velificaretur, quam-maximè palàm habuit, imprimendumq́; typis & in vulgus edendum curavit. Quod Theologorum præjudicium, magno putant eſſe Regi impedimento, quo minùs penè contra majorum ſuorum autoritatem, viduam fratris uxorem ducere licere ſibi putet. Hæc ita narrantur à quibuſdam: id ſit an aliud aliquid, cui iſtud prætendere placeat, ſcire non poſſum. mirabor ni ex Pybracqui colloquio aliquid hauriri poterit quod huc pertineat, aut ex quo conjectura

 aliqua

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

aliqua rapi poſſit. qui ut ſit altiſſimo ſilentio, illud ipſum tamen ſilentium magno erit argumento, qui ſit animus aut quæ voluntas Regis. qui quidem procerto Avinionem deſcenſurus exiſtimatur; ut ijs locis, ut opinor, propinquior quæ curationis maximè indigent, rem commodius adminiſtrare poſſit. Durat interea obſidio Luſignani, de reliquo nihil eſt quod affirmare audeam. Comes de Bailen cras, ni fallor, hinc diſcedet, ut revertatur in Hiſpaniam. Iter habet Nannetes verſus, oppidum Britanniæ maritimum, quod vulgò Nantes vocant; ibi navem conſcendet, ſeque vel Bilbilim vel ad S. Sebaſtianum traijciendum curabit: etenim hanc itineris rationem cæteris prætulit, cùm tutiorem, tum haud paulò breviorem. Humilimè ſupplico Cæſ. M.ti V. ut ad has litteras quam-primùm reſponſum dare dignetur; ut hîc omnia ex dignitate Cæſ. M.tis V. conficere & exequi poſſimus. Id reſponſum commodè ad Leonardum de Taxis mittetur Bruxellam, qui ſe in tranſmittendis huc Cæſ. M.tis V. litteris, nihil diligentiæ prętermiſſurum mihi recepit. Ego verò me, &c. Lutetiæ IX. Novemb. CIↃ. IↃ. LXXIV.

Quum Lugduno huc revertiſſet Pybracquus quem expectari ſuperioribus litteris ſcripſeram Cæſ. M.ti V. eumque acceſſiſſem ſalutatum, pro amicitiâ quæ mihi cum eo intercedit, cœpta primùm eo tempore quo Rex Galliæ divertit Viennam; atque is ad me ſimiliter ve-

niſſet

Digitized by Google

niſſet, ut inviſeret: nihil mihi fuit prius quam ut ſermonem inferrem de negocio Reginæ Cæſ. M.tis V. filiæ. itaque cum primum occaſio data eſt, dixi me mirari nundum conſtituiſſe Regem cujuſmodi duarium Reginæ viduæ aſſignatum vellet. tum ita reſpondit ut diceret hujuſmodi negotia raptim & feſtinanter confici non poſſe, ſed huic rei remedio futurum fuiſſe ſi ad Regem acceſſiſſem.

EPISTOLA VIII.

Binis litteris ſuperioribus ſcripſi Cæſ. M.ti V. de valetudine Chriſtianiſſimæ Reginę Dominę meę clementiſſimæ: ad quas nihil eſt quod addam niſi hoc unum, quod ipſa ut medicis obſequatur, morbi reliquias ſupereſſe affirmantibus, lecto ſe contineat; etſi vultus & animi alacritas nihil illi ad priſtinam ſanitatem deeſſe oſtendant. de quo tamen certius ex ejus litteris Cæſ. M.ta V. cognoſcet.

Nudiustertius venit in hanc urbem Pybracquus, ad quem ſtatim acceſſi per cauſam ſalutandi inviſendique, ut inveſtigarem ecquid ei mandatum eſſet de Reginæ duario; quemadmodum mihi fuerat ſcriptum Lugduno. ſed is nullum de eo verbum ſponte fecit, tantum cum mihi quærenti reſpondiſſet Regem & Reginam

reliquoſ-

reliquoſque illos Principes rectè ſe habere, deflexit ad res Polonicas, dixitque Verſaniæ, ſi rectè memini, habitum illius regni conventum, in quo fuiſſent deſignati duo Oratores ad Regem, quorum inſtructionis ſumma eſſe è Poloniâ ſcribebatur, ut Regem admonerent non benè adminiſtrari regnum ipſo abſente, daret operam quam-primùm fieri poſſet ut ſe eò reciperet. interfuiſſe eo conventui Oratorem Turcicum, qui Polonos etiam denunciatione belli deterruiſſet, ne Moſcovitam, neu quem de filijs Cæſ. M.^{tis} V. ſed de ſuis unum ſibi Regem aſciſcerent, ac nominatim propoſuiſſe duos. ſed putari illorum duorum operâ eam legationem excitatam. Quendam præterea eſſe ajebat idem Pybracquus Cęſ. M.^{tis} V. ſubditum, quem valdè ejus regni imperium ambire intellexiſſet. Ad hæc dicenti mihi valde difficulter abſentem Regem illud regnum tenere poſſe, non negabat; brevique inter eos inteſtinum bellum fore augurabatur. Quum poſtremò frigeret neque ullâ de re quam cognoſcere cupiebam mentio fieret, ipſe ultrò in eum ſermonem ingreſſus ſum, ut dicerem diſſipatum his ſuperioribus diebus rumorem, decretum fuiſſe Reginæ ſuum duarium. ille verum eſſe reſpondit, nimirum Ducatum Bituricenſem, quem ut præclarum & Reginæ rationibus valdè aptum multis verbis commendabat; ſed maximè domum illam Remorantinam, tum quærebat num id Reginæ non fuiſſet ſcriptum? cum

Digitized by Google

cum negarem cuiquam eâ de re ſcriptum verbum, excuſabat multitudinem & gravitatem negociorum Regis: & quod ejus Ducatus fruitio hæredibus Duciſſæ Sabaudiæ uſque ad Kalend. Ianuar. permiſſa eſſet. eo tempore exacto ejus dominium in Reginam tranſlatum iri, & ſi quid deeſſet ad annuam ſummam duarij, ex redditibus vicinorum locorum ſuppletum iri. dicebam ex uſu Reginæ futurum, ſi maturiùs atque aliquantò ante eas Kalend. de Regis voluntate conſtitiſſet; quò ſpatium eſſet ritè omnia atque ordine adminiſtrandi. aſſentiebatur ille quidem, neque enim negocia ejuſcemodi feſtinanter & raptim rectè curari poſſe, ſed huic rei remedio futurum fuiſſe, ſi ad Regem acceſſiſſem: hæc enim requirere aliquam præſentem operam atque aſſiduitatem. Dicebam vitaſſe nos importunitatem, fuiſſe etiam M.ti V. penitùs perſuaſum, Regem brevi fore Lutetiæ, noluiſſe ut interea à ſervitio Reginæ diſcederem, ſed ut hîc Regem expectarem. ille Regis ac Reginæ voluntatem erga Cæſ. M.tis V. filiam magnopere extollebat, ſi adfuiſſem in aulâ jam-diu illud negocium confici potuiſſe: cæterum parvam eſſe ſpem adventus Regis, quod is neſcio quo fato, contra ſententiam Cæſ. M.tis V. non neceſſarijs laboribus diuturnoque bello ſe implicuiſſet; quem etiam deſcenſurum Avinionem ſuſpicabatur: neque Danvillam contra Regem arma cœpiſſe negabat. Inter hæc illud ei

D excidit,

excidit, quod diceret ſe audiviſſe habere in animo Cæſ. M.tem V. elocare filiam Regi Luſitaniæ: negavi mihi quicquam de eo auditum. hoc ſcire, illum Reginæ nuptias valdè expetiviſſe, antequam nuptum daretur Regi defuncto, ſed Cæſ. M.tem V. hanc affinitatem illi prætuliſſe. nunc credibile eſſe occupatum bello Feſſano Regem, cui quidem præſens adeſſet, de uxore ducendâ minus cogitare. Hæc cum Pybracquo colloquij ſumma fuit, ex quo nullius rei argumentum ullam in partem magnopere capi poteſt, niſi quod video Kalendas Ianuar. conſtituendo Reginæ duario præſtitutas: ex eoque tempore Reginam denuò totam, ut ita dicam, in poteſtatem Cęſ. M.tis V. atque ad ejus curam redituram. eum verò qui Reginę aſſignabitur ducatum, futurum Bituricenſem neminem dubitare video. tametſi Regina heri mihi dixerit, ſcriptum ſibi Lugduno à ſuo Secretario, ideò non mitti ad ipſam decretum de ejus duario; quod ducatus Bituricenſis redditus non aſcendat ad eam ſummam quæ requiratur. quæ cauſa minùs probabilis mihi videtur, quandoquidem facilę ſit juxta pacta conventa in locis contiguis reliquum aſſignare. Illud me habet ſollicitum ne hæc procraſtinatio divulgationis decreti me in tantas temporis anguſtias conijciat, ut tam multa uno opere obire ſit difficile, ne dicam impoſſibile: locorum qui aſſignabuntur redituumq́ue quantitatem examinare atque perpendere. loca ipſa; ut fieri

fieri fortaſſe ſolet) viſere, accipere poſſeſſionem,litteras monumentaque eâ de re conſcribi curare. pecuniam quâ vivat interea Regina (quod erit difficillimum) invenire. Nam ſi tantum eſſet ſpacij ut cum Officialibus quibus Regina illos redditus creditura eſt, commodè agi poſſet, fortaſſis aliquid ab illis præ manu auferri poſſet. ſed temporis quæ portenduntur anguſtiæ, vix ei rei locum relinquunt. Quæ idcirco prolixiùs ſcribo Cæſ. M.ti V. quo pro parte ſuâ ſic providere dignetur, ne amantiſſima & obſequentiſſima filia ab eo negligi videatur, aut ne quid fiat quod minùs ex Cæſ. M.tis V.dignitate factum exiſtimetur.Comiti de Flieſco,ſi M.ti V. brevi Reginam è Galliâ educere eſt animus, ea hinc minimè movenda videtur,neque referre quod hîc maximi ſumptus fiant, adeò ut res ſola coquinaria,eaque quæ ad victum pertinent;prȩter ſtabulum, cubiculum & tantæ familię ſalaria,haud minoris quam tribus coronatorum millibus ſingulis menſibus expediantur. Nam ita occurri poſſe, delectis è magno famulicio paucis, quibus dum hîc ſit Regina utatur. Idem Comes non dubitat quin Rex ſuis impenſis cum ſplendido Comitatu Reginam deducendam curaturus ſit,quocumq; Cæſ.M.ti V. videbitur.Sed me terret quod neque hîc omnia ſunt aurea,& magnitudo ſumptuum, quos à Rege fieri video, difficultaſq; in corradēdis pecunijs,& quod aulâ abſit,& quod etiã longiùs abeſſe poſſit. Quibus de cauſis neſcio

 an con-

Digitized by Google

an conſultũ ſit totum ex alienâ atq; incertâ ſpe pendere, ac non potius ex ſe ita proviſa habere omnia, ne qua honoris aut exiſtimationis iactura fieri poſſit, ſi quid fortè non ſatis reſpondeat expectationi. Hîc etiam Comes atque alij percunctanti mihi, dixerunt, ſuperioribus Reginis viduis, poſt alterum menſem à morte mariti, aſſignato duario de ſuo vivendum fuiſſe: Cæſ. verò M.tis V. filię ad ſeptimum uſque exactum menſem expenſę de publico ſuppeditabuntur. Reſtat ut Cæſ. M.ti V. quam-humilimè ſupplicem, ut ad has litteras quamprimùm fieri poſſit reſponſum dare, meque ſibi humilimè commendatum habere dignetur. Quam, &c. Lutetiæ XIII. Novemb. cIↃ. IↃ. LXXIV.

EPISTOLA IX.

Die Sabbati per eum qui Regis Reginęque ſenioris nomine Reginam Cæſ. M.tis V. filiam inviſerat, ſcripſi Cęſ. M.ti V. etenim is ita dicebat, ſtatim ut Lugdunum redijſſet inde miſſum iri ad Cæſ. M.tem V. à Rege Seneſchallum Lugdunenſem. Scripſit etiam ad M.tem V. Regina, cujus litteras faſciculo meo incluſi: ſed ſcripſi tam properè & feſtinanter, ut verear ne multa parùm emendata mihi exciderint, aut quę in legendo difficultatem adferant; quod erit clementię

Cęſ.

Cæſ. M.tis V. mihi condonare. Caput erat illarum litterarum, Reginam convaluiſſe à morbo, ſuum duarium Kalendis Ianuar. ei aſſignatum iri; hoc alterius vitæ futurum initium, ad curam M.tis V. pertinere ubi maneret, aut quo eam transferri placeret, quamque item rationem ſtatumque familiæ inſtitui. In quo humilimè ſupplicatum velim Cæſ. M.ti V. ita cogitationem de eo ſuſcipere dignetur, itaque rebus omnibus providere, ut præter M.tis V. dignitatem aut optimæ Reginæ exiſtimationem nihil admittatur. Reliquas ſuperiores Reginas viduas Regum ſumptibus & Gallico comitatu domum atque ad ſuos ſolitas remitti audio. Sed interea Reginę officiales ſollicitos video, unde ſumant pecuniam, quâ vivat Regina antequam ex ejus redditibus aliquid percipiatur. nam in veteribus creditoribus parùm ſpei, propter debita quæ jam ſunt magna, & erunt Kalendis Ianuar. etiam majora; etenim tunc ut minimùm erunt L. millium, quorum quidem ſolutio ad Regem pertinet, ſed vereor ne ea tardior ſit; quæ res alienos reddet creditores. ſed & hoc me ſollicitum habet, quod ut maximè Reginæ familia contrahatur, vix in partem expenſarum (ſi hic manendum erit) ejus redditus ſufficient. De reliquo nihil eſt de quo magnopere ſcribam, niſi quod Regi non videntur negocia valde ſuccedere ex ſententiâ. Qui Luſignani obſidebantur, factâ eruptione feliciter pugnaſſe dicuntur, ac benè multos Mon-

 penſe-

Digitized by Google

penſerij milites occidiſſe, adeò ut ille obſidionem ſolvere coactus ſit. Similiter cohortes aliquot Comitis de Retz cum equitibus à milite Danvillę conciſas ajunt. Ipſum Danvillam ingentibus animis ad defenſionem ſe parare, ac præferre titulum Legati Principis de Condé: cujus etiam ipſius apparatus, motuſque Germanorum metuuntur. Additur, quo id fiat veriſimilius, Rupellanos magnâ vim ſalis mercatoribus Germanis, qui è maritimis civitatibus eò navibus acceſſerant, vendidiſſe: eâ conditione, ut precium in Germaniâ Condæo ſolveretur; quo ei pecunia ad conducendum militem ſuppeteret: Quæ ſi vera ſunt conduplicabuntur Galliæ calamitates. Quis ſit iſtius Regis animus de ducendâ uxore, conjecturâ aſſequi difficile eſt: ſunt qui eum ad filiam D. Vaudemontij adjeciſſe animum putent, inſigni pulchritudine virginem; & eſt cęteròqui Rex familiæ & factioni Lotharingicæ ſupra modum deditus, ejuſque amplificandæ cupidiſſimus. quam tamen ſi duxerit magnam ſermonis atq; offenſionis materiam dabit multis, qui potentiam opeſque Lotharingorum ſuis luminibus ſuiſque commodis officere credunt: inter quos ſunt Vendoſmius, Condæus atque ipſe fortaſſe Alençonius, qui his fundamentis gradum ad alia majora ſtrui, neſcio an temerè, ſuſpicabuntur. Ego me, &c. Lutetiæ XVI. Novemb. CIↃ. IↃ. LXXIV.

EPIS-

EPISTOLA X.

Litteras Cæſ. M.tis V. binas datas ultimâ Octob. unà cum inſtructione accepi xxiii. Novemb. Lutetiæ. nam quibus de cauſis iter Belgicum intermiſerim jam intellexerit Cæſ. M.tas V. Itaque feci ſtatim certiorem Reginam de M.tis V. voluntate & eodem tempore M.tis V. litteras ei reddidi. ſimulque conſului quid de itinere ad Regem fieri placeret, quemadmodùm mihi Cæſ. M.tas V. mandarat: ad quæ illa reſpondit ſibi planè videri conſultum ut iretur ad Regem ijs de cauſis quas Cæſ. M.tas V. ſcripſerat & ego referebam. cumque rogaſſem ut etiam atque etiam cogitaret, ac poſtridiè eâdem de causâ ad eam eſſem reverſus, omnino idem ſibi videri & placere dixit. Quæſivi etiam de teſtamento, num Rex aliquod condidiſſet antequam moreretur? illa ſibi certò conſtare dixit nullum teſtamentum à Rege conditum, verbo dumtaxat poſtrema mandata varijs de rebus dediſſe; neque ego ex quoquam hactenus audivi teſtamentum ullum confectum, ſed tamen exquiram etiam diligentiùs. Iam verò quod ad totum negocium attinet, quod Reginam attingit præter ea quæ antea ſcripſi, nihil fortaſſis oberit quę ſequentur adſcribere. Paucis diebus à poſtremis ad C. M.tem V. litteris

litteris venit ad me Epiſcopus Pariſienſis filiæ Cæſ.M.[tis] V. Cancellarius, nec multùm poſt adfuerunt Comes de Flieſco atque item Dominus de France Reginæ primus magiſter curiæ, nam Gallicâ conſuetudine eorum ſunt plures. Deinde in eum ſermonem ingreſſus eſt Epiſcopus, ut diceret ſibi videri tempus eſſe ut de Reginæ duario, deque rebus ad ejus rationem ſtatumque pertinentibus ſtatueretur: nam veniſſe quidem Pybracquum qui de hoc toto negocio mandata habere exiſtimabatur, ſed nihil attuliſſe. Se quidem ægrotaſſe hactenùs & in quodam ſuburbano ſuo decubuiſſe, ſtatim verò ut recuperaſſet valetudinem ſeque in urbem recepiſſet, veniſſe ad me, ut de communi conſilio quid maximè ex uſu Reginæ eſſet diſpiceremus: ſibi quidem ita videri pluribus de rebus deliberationem inſtituendam. Imprimis ubinam aſſignarentur LX. Francor. millia quæ Reginę ex pactis dotalibus debeantur. Nam id optimum fore ut in dominio (ut ipſi vocant en domaine) ea conſtituerentur. Ducatum Bituricenſem qui eò deſtinatus circumfertur, optimum quidem eſſe, ſed non tantum eſſe ejus dominij redditum ut ſummam quæ poſtularetur efficeret. Ex diverſis ejus ducatus portorijs & vectigalibus facile ad eam ſummam perveniri poſſe. Secundo loco videri ſibi petenda XX. Francor. millia penſionis nomine, quemadmodum reliquis Reginis fuiſſent attributa & ut ea aſſignarentur aut in officio

quod

quod vocant de l'eſpargne, aut alio unde certa ac facilis ſolutio ſperari poſſet. Tertio loco petendum à Rege ut plus minus xx. mill. Francor. Reginę donaret quibus illa ſumptum faceret initio iſtius mutationis: nam de ſuis redditibus quorum dies nundum ceſſiſſet non poſſe eam vivere. quod ſi ante maturum tempus præcipere illos redditus & cum redemptoribus de pecuniâ paciſci vellet, magnum facturam damnum, & ſemper, quod dici ſolet, meſſem ſuam viridem conſumpturā. Poſtremò ajebat Reginā ſeniorem hoc ſibi diſcedenti promiſiſſe, ut etiam quinque millia coronatorum quæ Reginę certo loco aſſignanda fuiſſent, ſi dos fuiſſet numerata, non minus ac ſi id factum fuiſſet; Reginæ ſingulis annis repræſentarentur. ſi mihi videretur, ſe de his rebus ad Regem Reginamque ſeniorem ſcripturum. Ad ea reſpondi, facere illum humaniter & officioſè quod ſibi commendatam pateretur Reginę cauſam, ſibique ejus commoda curæ eſſe debere duceret. nullam cauſam eſſe quominùs me autorem faceret poſtulationis, ut Reginę ſuum duarium aſſignaretur in dominio alicujus ducatus, quemadmodum monumenta dotalia continerent, etenim ut id curarem mihi diſertè à Cæſ. M.^te V. mandatum. Quod diceret non valere tantùm dominium Bituricenſe, imo deeſſe plurimùm, ſed id ſuppleri poſſe ex vectigalibus & telonijs ejus provinciæ. ego verò dicebam videri mihi convenientius ut ſuppleretur

retur

retur ex dominijs vicinorum locorum quemadmodum pactorum dotalium monumenta diſertè continerent, à quibus non eſſet temerè diſcedendum. ad ducatum Bituricenſem adijci poſſe Borbonienſem qui eſſet finitimus, quemadmodum Reginæ Scotiæ ad Pictavienſem comitatum adjectus eſſet ducatus Thuronenſis. Epiſcopo ne ſic quidem duarij ſumma expleri poſſe videbatur ne ſi tres quidem ducatus adijcerentur. itaque ſibi videri in eo Reginæ ſatisfaciendi facultatem planè defuturam. Comes de Flieſco contra diſputabat, quando ita promiſſum eſſet, eam curam Regi relinquendam. tollerari tamen poſſe ſi paulùm modò ſummæ deeſſet, exemplo Reginę Scotiæ cui tributa fuiſſent in dominio XL. millia Francor. cum LX. deberentur. ſi nobis tantum daretur, & reliquum, utpote XV. millia Francor. aſſignaretur alibi, non eſſe quod iniquè ferremus. Epiſcopus diverſam temporis rationem, neque eundem in Galliâ ſtatum adducebat, neque Cardinalis Lotharingi potentiam & autoritatem ſilentio præteribat. De penſione dixi me non dubitare quin Rex eundem Reginæ honorem eſſet habiturus qui reliquis conſueviſſet, neque me dubitaturum ubi tempus eſſet & rés poſtularet, id à Rege petere, neque enim aliter meritam Reginam, neque ſuperiorum ulli inferiorem, tamen quoniam hoc totum ex Regis arbitrio penderet, non eſſe noſtri pudoris in eo Regi præſcribere,

aut

Digitized by Google

aut præfinire cuiquam; rectiùs facturos ipſos, ſi ipſi Regi in memoriam redegiſſent. idem mihi videri de xx. millibus Francor. quibus in ſumptum opus futurum Reginæ dicebant. idem Comes de Flieſco & magiſter curiæ ſentiebant, ijdem vehementer ambigebant an penſio bono loco aſſignata obtineri poſſet, promiſſam quidem fuiſſe Reginę Scotiæ, ſed ita aſſignatam ut nihil profuerit, nec malè jactari vulgari proverbio, penſiones nihil aliud eſſe quam paſſiones. De quinque illis coronatorum millibus quos Regina fructus nomine quotannis captura fuiſſet, ſi dos fuiſſet numerata, non habui quod dicerem, quandoquidem ea res uſitatæ liberalitatis fines excederet, ac proinde mihi ſuſpecta eſſet. nec poſſem excogitare cur proponeretur. ſed nec Comiti de Flieſco probari poterat, ita Reginam ſeniorem dixiſſe, aut ſi dixiſſet ſervaturam. Idem tamen Epiſcopus non multò poſt etiam Reginæ affirmavit; ut mihi ipſa narravit, nec ſatis admirari poterat. denique ita diſceſſum eſt ut ſe Epiſcopus litteras conſcribendas curaturum diceret, quas nobis oſtenderet, in quibus me autorem faceret poſtulationis duarij: reliqua ipſi ſponte & pro officio Regi proponerent. Paucis poſt diebus acceſſi ad Epiſcopum viſendi gratiâ, quo tempore nundum habuit paratas litteras, interea Comes & Magiſter curiæ Regem certiorem fecerunt deeſſe Reginæ pecuniam in ſumptum, ac tum denique venerunt à M.te V. litteræ, quę

 nos

nos omnes curâ & ſollicitudine levarunt; quandoquidem ad Cæſ. M.tem V. propriè pertinet de aſſignatione duarij urgere, quod onus nemo pręter M.tem V. facile in ſe recipiet. Quę ideò prolixius commemoro ut quoad ejus fieri poſſit pręſentem Reginę negociorum ſtatum M.ti V. ob oculos ponam, ut de eventu conjecturam aliquam facere poſſit. Nam imprimis maximam difficultatem futuram video in aſſignando duario, propter dominij totâ Galliâ diminutionem & inopiam, adeò ut vix duarij dimidiam partem in dominio conſignatum iri polliceri audeant, reliquum tamen in telonijs portorijs & vectigalibus & ſimilibus juribus collocatum iri, ut nihil Reginę decedat. ſed ex quibus non capiet ea extraordinaria emolumenta quę ex bonis dominij capi ſolent, quę in quibuſdam locis majora, in quibuſdam minora ſunt. Dominium Bituricenſe vix ſummam efficit IX. millium Francor. annuorum. at accidentia, quę ipſi vocant partes caſuales, ſępè eam ſummam aut ęquant aut excedunt, nec tamen computantur ſed veluti pro lucro accedunt. Sed alijs locis multis, dominium longè copioſius eſt, ſed minimum eſt emolumentum extraordinariorum ſeu fortuitorum, ut perquam magni referat cùm plurimum habere dominium, tùm ut in hujuſmodi locis ſitum ſit ubi plurimum accedat emolumenti & lucri extraordinarij. ſed acciſę Gallię res magni dominij ſpem non relinquunt,

quin prçclarè nobiſcum agetur ſi aliquantum ultra dimidiam ejus ſummæ quæ debeatur dominij obtineri poterit. reliquum in ijs locis conſtituendum erit, unde minima fruſtratio timeri poſſit:cujuſmodi ſunt telonia portoria & vectigalia, & ut penſio quæ promittitur ſic collocetur,ut ejus certa ſolutio ſperari poſſit. eam enim penſionem lucrum repoſituram quod ex emolumentis extraordinarij provẽturũ erat,ſi integra LX.mill. Frãcor. ſumma dominio aſcripta fuiſſet. dandã autem maximè eſſe operã ut reliqua sũma quç extra dominiũ collocãda erit,in ijs portorijs & vectigalibus collocetur, quæ ejus regionis erunt in cujus dominio aſſignatũ erit duariũ. Hæc multis viris bonis Reginæ miniſtris & Conſiliarijs ita videntur,in eoque bonam operam ſe navaturos pollicentur. quo conſilio fortaſſe ſuperſederi poſſet,ſi nobis ſummo jure agere liceret; & pertinaciter inhærere litteris pactorum dotalium : ſed me dos non ſoluta terret,quodque nos ipſi primi à pactis dotalibus receſſerimus. Itaque ſatiùs arbitror nihil niſi comiter & moderatè agendum,neque eos temerè ad iram provocandos. Iſta etiam dos non ſoluta alium mihi ſcrupulum movet, ne eâ ratione renunciatio à Chriſtianiſſimâ Reginâ facta,in dubium vocetur, atque irrita factâ videatur, & quum defunctâ Reginâ (quam Deus ſervet) ad ejus filiam dos devolvatur, hinc fortaſſis quis cauſam arripiat alicujus juris,cum hodie multos non modò quovis,ſed etiam nullo titulo quidvis tentare & moliri videamus.

Digitized by Google

quam verò multa mirabilia & præter expectationem quotidie fieri videamus nemo eſt qui non experiatur in rebus privatis, & qui non perſpiciat in publicis. Sed hoc per occaſionem præſentis negocij obiter modò attingendum duxi, ſi quid forte ullam in partem intereſſet. Ego meas partes eſſe exiſtimo cum venero in aulam ut meum negocium Regi modeſtiſſimè proponam, inſtemque apud eum ut quam commodiſſimum reſponſum auferam, quod primo quoque tempore mittam ad Cæſ. M.tem V. ut mihi mandavit. Sunt qui putent hoc negocium à Rege huc rejectum iri quod ipſe brevi huc venire habeat in animo, nam XIII. Ianuarij velle inungi Remis & poſtremis Bacchanalium diebus in urbem ingredi. ſed hæc incerta; cum multa inter calicem & offam. atque ut redeat quandocumque velit ad exiſtimationem Cæſ. M.tis V. pertinebit videri functam officio, filiæque quam debuerit rationem habuiſſe. Ipſi ſic appellati, erunt deinceps in morâ, & ſi quos in Reginam ſumptus facient, debere videbuntur. Si eſſet iſtîc optabilis pecuniæ facultas valdè honorificum fuiſſet Cæſ. M.ti V. filiæ X. aut XII. millibus Tallerorum ſubveniſſe, quibus uteretur antequam ex fructibus duarij ſui aliquid capere poſſet. Quæ ſumma haud difficulter poſtmodùm Cæſ. M.ti V. reſtitueretur, nam, niſi me ratio fugit, annuos redditus haud multò infra XXX. mill. Coronator. habitura eſt. Spes quidem eſt

Regem

Regem ei non defuturum, ſed tamen ſi eum ſatietas ſumptuum cœpiſſet (majoribus ſumptibus à morte mariti in Reginâ factis quam in alijs fieri conſueverit) certè ſummâ cum difficultate & jacturâ pecunia nobis invenienda eſſet. tametſi etiam nunc pecuniâ fortaſſe carere poſſumus, modò fides nobis conſtituatur Lugduni aut Antverpiæ, ut ſi tandem hujuſmodi ſummâ opus ſit, proviſum ſit unde ea ſumi poſſit. Hęc ego pro officio & fide quam & M.ti V. debeo, & Reginę cui nunc inſervio, monuiſſe velim; mihi quęcumque Cæſ. M.tis V. voluntas erit gratiſſima. Fit in litteris Cæſ. M.tis V. mentio litterarum credentialium, quas nullas accepi, quàs tamen non inutiles futuras fuiſſe puto. Nam ego ſanè nihil habeo hujuſmodi quo me tueri poſſim, ſi quis me roget quâ autoritate, quo mandato Reginæ negocia procurem, præter inſtructionem; quam tamen totam edere conſultum non eſſet. Ego me, &c. Lutetiæ pridie Kalendas Decemb. cIↃ. IↃ. LXXIV.

EPISTOLA XI.

QVum in eo itinere quod Cęſ. M.tis V. juſſu inſtitueram, veniſſem Lugdunum ad XII. diem Decembris, ibi duos dies ſubſtiti, ut de ratione itineris, quod ſupererat, inquirerem; & ea pararem quæ erant

erant ad iter neceſſaria. Imprimis officij mei eſſe exiſtimavi Oratorem Regis Catholici convenire, ut ex eo de rebus omnibus quæ tempus ferret cognoſcerem. Nam is cum reliquis Oratoribus juſſus erat Regem expectare Lugduni, ſed & præcipuam cauſam habebat manendi, podagram; morbum ad faciendum iter contrarium. is multa humaniter mecum de ratione itineris colloquutus eſt, ſic ut me proponendis cùm terrâ tum flumine periculis, dehortaretur ne temerè Avinionem deſcenderem. ac penè moviſſet me ejus viri autoritas, nî accerſitis nautis qui ex eo itinere recens redierant, omnia leviora eſſe cognoviſſem, periculaque quę proponerentur non ſtata eſſe neque certa, ſed fortuita. Itaque ne illîc hærerem ocioſus incertuſque rerum omnium, & præſertim reditus Regis, eaque mora cùm M.tem V. tum Reginam offenderet, ſtatui quoquo modo ſe res haberet inſtitutum iter proſequi, itaque xv. Lugduni navem ingreſſus veni Avinionem xvii. in quo itinere Dei benignitate nihil adij neque periculi neque incommodi, fueruntque omnia longè quam ferebantur & tutiora & commodiora. Tantum cum veni Valentiam Epiſcopus Monluccius, is qui in negocio Polonico primas partes egit, cum ad me ſalutatum in navem acceſſiſſet, mihi fuit autor ut ſex milites pixidarios præſidij causâ in navem reciperem, quandoquidem in locis finitimis, hoſtes, quoſdam excepiſſent, nonnullos etiam inter-

interfeciſſent; cujus ego conſilio ſum obſequutus. Avinione datus mihi fuit ad Regem aditus XIX. ejuſdem menſis, atq; is me ſummâ humanitate complexus eſt. cumque apud eum Cæſ. M.ris V. mandata expoſuiſſem ejuſdemque M.tis V. & ſacratiſſimæ Imperatricis litteras reddidiſſem, liberaliſſimè reſpondit ſe Cæſ. M.tis V. causâ quibuſcumque rebus poſſit M.tis V. filiæ gratificaturum; multoque cum verborum honore Cæſ. M.tis V. officia beneficiaque in ſe proſequebatur. Idem fuit Reginæ matris ſermo ad quam paucis interjectis diebus introductus ſum. Nam morbo purgationibuſque impediebatur quominùs mihi operam dare poſſet. poſtea factus ſum certior datas à Rege Lutetiam ad Reginam litteras de aſſignatione dotis, eaſque ab ejus loci Senatu inter acta relatas verificataſque, ut dicunt, ac tum demum præter conſuetudinem Reginæ oblatas. continebant illæ litteræ Reginæ ita duarium conſtitui, ut in Ducatu Bituricenſi haberet in dominio X. millia Francor. de vectigalibus XXV. millia, è portorio ſalis XLV. ea ſimul omnia ſummam efficiebant LXXX. millium Francorum. nam XX. millia compenſationi imputabantur damni nomine quod faciebat Regina minimâ modò parte ſui duarij in dominio conſtitutâ. Eâ recognitâ ſtatim poſtulavi aditum ad Regem quo nominatim de Reginę duario agerem oſtenderemque longè magis eſſe ex uſu Reginæ habere LX. millia in

 domi-

dominio juxta pacta matrimonialia quam LXXX. ita ut eſſent aſſignata; idque M.ti V. gratius futurum. Fuit Regis reſponſum denuò perquam liberale, nimirum ſe eam rem cum ſuo conſilio communicaturum & cum matre. viſurum etiam quid eſſet habiturus reſponſi à Reginæ Conſiliarijs ad eas litteras quæ eſſent miſſæ Lutetiam, neque ei futurum quicquam antiquius quam ut M.ti V. filiæque pro merito utriuſque ſatisfieret. atque hîc prolixè Cæſ. M.is V. erga ſe beneficia recenſebat quibus illud etiam novę obligationis acceſſiſſe dicebat quod Villecobus (cujus Secretarius modò adveniſſet) ſibi per litteras ſignificaſſet ei Cæſ. M.tem V. ita dixiſſe, ſi vellet poſſeſſionem Regni Polonici retinere, ſuam ei operam autoritatemque non defuturam. quod quidem haud parvum beneficium duceret. Ad ea tantum reſpōdi Cæſ. M.tem V. mihi mandaſſe ut quod mihi dediſſet reſponſum, primo quoque tempore ad eam mitterem. expectaturum itaque dum certius aliquid obtinuiſſem. hoc ille ſibi probari dixit. Quum in eo ſermone intellexiſſem eum uſurum conſilio matris, viſum eſt mihi rurſus ad eam accedere ut eam rogarem, ſicuti jam priore colloquio feceram, ut bonam operam Reginæ navaret eique ſuffragari ne gravaretur. cumque ei colloquio eſſet captum tempus jamque ad eam eſſem acceſſurus, redduntur mihi à Chriſtianiſſimâ Reginâ litteræ quibus me certiorem faciebat de reſcripto Regis ad ſe allato de-

to deque conſilij ſui ſententiâ. cauſas difficultateſque ad me deſcriptas mittebat, propter quas ejuſmodi aſſignationi duarij non poſſet acquieſcere, erant etiam ejus ad Regem Reginamque litteræ, quas reddidi. Itaque ſic egi cum Reginâ matre ut dicerem complures eſſe cauſas quæ prohiberent quo minùs Regina oblatam à Rege duarij conditionem accipere poſſet quas ſcripto cõprehenſas ei eſſem delaturus. Illa ſibi gratum futurum reſpondit, bonamque ſe filiæ, optimè de ſe meritæ futuram advocatam. ſequenti die ſcriptum ad eam miſi cujus hîc exemplum adjunctum eſt ſub littera A. ferè totum ex ſcripto quod Regina miſerat concinnatum, additis dumtaxat quæ ex re natâ heſternoque colloquio convenire videbantur, atque ijs prętermiſſis quæ nundum matura exiſtimabam. Paucis poſt diebus ad me veniunt Regis Conſiliarij Morvillerius Epiſcopus Aurelianenſis & Epiſcopus Lemovicenſis. Non ero longus in referendo toto colloquio, quæque ultrò citroque dicta fuere: ſumma fuit, ipſos vidiſſe meum ſcriptum & quid deſiderarem, cumque Regi nihil eſſet optatius quã ut Cæſ. M.ti V. & filiæ Reginæ omni officio ſatisfaceret, cum adijcere ad Ducatum Bituricenſem Comitatũ Foreſtenſem quem ipſe antea poſſediſſet, reliquarum provinciarum dominia magna ex parte oppignerata. Nam Regem etſi in itinere Polonico fratrem ſuâ liberalitate ſublevarit, tamen de ſuo multùm impendiſſe.

 Velle

Velle etiam aliquot provincias retinere quibus de dote futurę conjugi cavere poſſet,quibus verbis deſignabantur Ducatus Borbonius & Andegavenſis, nam Borbonium non incommodè ad Bituricenſem adijci poſſe aliquando injeceram. Facere etiam Regem ſpem oppidi Remorantini cum ſuo territorio,quod etiam à me deſiderari intellexerunt: tamen neſcire ſe certò an id Rex eſſet conceſſurus; etſi enim id oppidum in Biturigum finibus ſit, tamen proprio jure cenſetur. poſtremò indulgere Reginæ penſionem xx. millium Francor.Cum quærerem ubi ea aſſignarentur? reſpondebant, in officio de l'eſpargne; eam aſſignationem eſſe certiſſimam. hoc ego negabam,nam ſciebam Reginæ Scotię eodem loco aſſignatam,multis annis non ſolutam. Rogabam ut & ipſi in Ducatu Bituricenſi aſſignaretur aut alio ſecuro loco, illi propter exemplum negabant fieri poſſe: tamen viſuros quid Rex eſſet decreturus, & quoad poſſent ſe ſuo ſuffragio affuturos oſtendebant. Cum verò metuerem ne ſi nihil habuiſſem præterquam vocis teſtimonium, illi poſtmodum omnia interverterent,aut certè minùs quam promiſiſſent præſtare vellent. rogavi ea mihi deſcripta traderent, ut ſi quid eſſet quod reſponſione indigeret,commodiùs facere poſſem. Dixi ad hęc nullâ de re mihi à M.[te] V.permiſſum quicquam ſtatuere, ſed tantum juſſum eorum reſponſum ei mittere, viciſſimque Cæſ. M.[tis] V. reſponſum expectare,
quod

quod Regi referrem. in eo laborare ut ejuſmodi reſpõſum obtinerem quo credibile eſſet Cæſ. M.ti V. ſatisfactum iri. ſic eſt diſceſſum. Biduò poſt remittunt mihi ſcriptum illud meum, cum ijs in margine annotationibus quas Cęſ. M.tas V. videre poterit. In ijs litteris quas Rex Lutetiam ad Reginam miſerat, extabat ſcriptum, dari Reginæ Ducatus Bituricenſis dominium, æſtimatum x. millibus Francor. & quia ea ſumma longè aberat à LX. millibus, quę in dominio aſſignari debebant; cujus rei Regi facultas nõ ſuppeteret, idcirco ſuppleri LXX. millia Francor. in vectigali ſalis conſtituti: ut univerſa ſumma eſſet Francor. LXXX. millium. ita ut propter eam quam dixi dominij inopiam, xx. millium Francor. acceſſio fieri videretur. Et Regina ſenior ſuperioribus diebus quærenti mihi de exiguitate dominij, reſponderat compenſari xx. millium Francor. adjectione. Cum itaque adjecto Foreſto & Remorantino nihilominus multum deeſſet ad ſummam quæ in dominio requirebatur, utpote dimidium & eò amplius, credideram de illâ LXXX. millium Francor. ſummâ jam promiſſâ, nihil defalcatum iri. ſed illi aliam rationem inibant. Nimirum quia in dominio adjeciſſent xx. millia Francor. non eſſe habendam rationem ejus quod deerat, & poſſe auferri illa xx. ex ſummâ LXXX. millium, ita ut reſtarent tantum LX. & pro eo quod in dominio addebant, XL. auferrent, ejus quod eſſet conſtitutum

 extra

Digitized by Google

extra dominium, quemadmodum ex eorum decreto videbam. ſed id mihi non placebat, neque videbatur æquum, itaque & expoſtulavi eâ de re cum Rege, & ei ſcriptum exhibui, quod eſt ſignatum litterâ B. Rex pro ſuâ conſuetudine, benignè reſpondit, idemque à Reginâ ſeniore factum eſt, cum rogaretur à me ne filię deeſſet. Cumque eſſet in diſceſſu Rex, ſe mihi reſponſum Lugduni daturum dixit; quod ejus Conſiliarij jam diſceſſiſſent. Quum redijſſem Lugdunum, rebus omnibus antevertendum duxi, ut Epiſcopos Aurelianenſem & Lemovicenſem convenirem; id enim propter celeritatem diſceſſus, & eorum continuas occupationes, Avinione mihi non fuerat liberum. Cum itaque opportuniſſimum ad eos adeundi tempus circumſpexiſſem, dixiſſemque imprimis officij & viſendi gratiâ me ad eos veniſſe. quæſivi deinceps num ſcriptum illud quod Regi porrexeram vidiſſent? cum negarent, expoſui eis quæ cauſa me moviſſet ut illud Regi darem, ſimulq; exemplum eis tradidi, queſtus pro xx. millibus quæ in dominio adjeciſſent, detracta xx. de eâ ſummâ quæ extra dominium aſſignata eſſet. Illi ut occurrerent ſcripto meo, quod ſine dubio jam viderant, callidè reſponderunt; illa xx. millia Francor. addita ſupra ſortem, ut ita dicam, non eo nomine adjecta, ut alicujus incommodi compenſatio fieret, ſed fuiſſe adjecta pro penſione Reginis dari ſolitâ. Nam compenſationem non fuiſſe neceſ-

neceſſariam , cum abundè ſatisfactum eſſet Reginę L.
millibus in granario ſalis & aydes, ut vocant, conſtitutis.
Nam hujuſmodi jura portoriaque etiam dominij no-
mine cenſeri. conceſſum unum Ducatum cum juriſdi-
ctione omnibuſque ferè ſuis juribus, hac ratione pactis
conventis ſatisfactum. Ego contra negare nomen do-
minij ad ea ſe extendere, ſed intelligi de rebus quę in ſo-
lo fundoque conſiſterent. optimam eſſe hujus rei in-
terpretem conſuetudinem, ad hoc tempus uſque, ita in
reliquis Reginis ſervatum , ut cum dominium unius
Ducatus non ſufficeret, tranſitur ad loca vicina. exem-
plum extare recens & illuſtre in Reginâ Scotię. cui cum
non ſufficerent Pictones adjectos fuiſſe Thuronenſes,
deinde etiam Comitatus Campanię Baiſignij ita ut illi
vix deeſſent xi. aut xii. millia quin totum duarium in
ſolo fundoque illi conſtitutum eſſet. Illis cum deeſſet
quod reſponderent ajebant Reginę profuiſſe pręroga-
tivam temporis. etenim ſucceſſiſſe eam Reginę Leono-
rę, cujus tempore jam duæ illę Provinciæ connexę fuiſ-
ſent, ideoque Reginę Scotię ſimul datas, nunc non eſſe
ejus rei facultatem. Ego ad hęc , ergo Reginam non
benè ſed malè habitam iri contra ac Regi placere dice-
rent, & peſſimam futuram ejus conditionem ſi hæc in-
terpretatio haberet locum, multaque in eam ſententiã.
poſtremò deferebam eis etiam iſtam conditionem, quã
Regina de conſilij ſui ſententiâ ſcriptam ad me miſerat,

ut Bi-

ut Bituriges cum omnibus ſuis juribus quæque eò pertinent ita darentur Reginæ quemadmodum conceſſi fuiſſent Duciſſæ Sabaudiæ; ſperare me eâ M.tem V. contentam fore cum videret filiam ſuam perinde haberi ut habita fuiſſet ipſius ſuperioris Henrici Regis ſoror: atq; ita penes eos remaneret Comitatus Foreſtenſis. Sed hoc illis non probabatur, ajebant quod illa juris aliquid habere videretur in Ducatu Britanniæ, eâ de cauſâ fortaſſe tantum ei indulſiſſe fratrem. Ego ad hæc, me functum eſſe officio meo & quę æqua eſſent poſtulaſſe, ejus rei ipſos eſſe teſtes & ſcripta item quæ Regi dediſſem, darent mihi reſponſum quo Cæſ. M.ti V. ſatisfactum iri putarent, me id ad Cæſ. M.tem V. miſſurum, & quod ab eâ reſponſum eſſet eis viciſſim relaturum. etiam atque etiam orare ut Reginam, quam optimè meritam dicerent, ita tractarent quemadmodum placere Regi multoties prædicaſſet, reſque verbis reſponderet. eum eſſe Cæſ. M.tem V. Principem cui ſi quod beneficium datum eſſet, poſſet aliquando tempus offerri ut ſimul referendæ gratię daretur locus. illi viſuros ſe, relaturos ad Regem, nec dubitare ſe quin Rex in Reginę gratiam quęcumque poſſet facturus eſſet; tamen non putare ſe propter multitudinem occupationum Regis, me hîc poſſe reſponſum accipere. Quum veniſſem domum cœpi omnes cartas evoluere, quas ad me Regina miſerat, ut ea colligerem quibus me ex illorum captionibus expedi-

expedirem. Reperio mihi valde opitulari exemplum litterarum Regis quas Lutetiam dederat, in quibus nulla fiebat penſionis mentio, imò diſertè continebatur compenſandi Reginæ incommodi causâ illam appendicem xx. millium Francor. adjectam. Deinde erat in eiſdem litteris expreſſum: ſi fieri potuiſſet, in terris dominioque debuiſſe totum Reginæ duarium conſtitui, qui locus planè faciebat à me confutabatque illorum opinionem contendentiũ redditus ex ſale ejuſmodique rebus vicem dominij ſupplere. eum itaque annotatum (ut eſt etiam in exemplo quod ad Cæſ. M.tem V. mitto ſub litterâ C.) ad Morvillerium transferendum curo, cum litterulis quæ his etiam annexæ ſunt cum ejus ad illas reſponſo. Cum ita res ſe haberet petivi aditum ad Regem poſtridie, id erat pridie quam eſſet diſceſſurus, ut ei valedicerem; ſimulq; per hanc occaſionem commonefacerem reſponſi. Rex ſolitâ comitate uſus eſt in reſpondendo, ſibi eſſe in animo cùm Reginæ tum Cæſ. M.ti V. ſatisfacere. ſed tamen ſe occupationum turbâ obrutum, nundum potuiſſe ſtatuere de reſponſo; facturum id ſtatim ac veniſſet Pariſios, quod eſſet futurum propediem: cumque intellexiſſet me conſtituiſſe ſcribere ad Cęſ. M.tem V. juſſit ut adſcriberem ſe quam officioſiſſimè Cæſ. M.ti V. manus deoſculari. Cum Rex tam juſtam excuſationis cauſam haberet, non putavi eum urgendum, & mihi penè magis ex uſu Reginę

videbatur hoc negociũ reijci Lutetiam, itaque acquievi, actiſque ei gratijs ob honorem quem mihi habuerat quoad fueram in ejus aulâ (nam me ſemper complexus fuerat ſummâ humanitate cum aſſiduâ prędicatione meritorum erga ſe Cæſ. M.tis V.) petivi ab eo veniam redeundi ad Reginam, cujus ſervitio eram addictus. Cum eſſem ita dimiſſus poſtridiè Secretarius Brulart, ſcriptum quod Regi exhibueram, ita ſubnotatum ad me miſit, quemadmodum mitto ad Cæſ. M.tem V. de quo Lutetiâ plura ſcribam, poſtquam de eo ſententiam Reginæ conſiliariorum intellexero & quid præterea faciendum conſeant. quibus etſi in omnibus non eſt credendum, tamẽ non deſunt qui aliquando fideliter moneant: poſſuntque eorum conſilia eſſe utilia ſi cum judicio accipiantur. Scribam itaque hac de re totâ copioſius, & quid utrimque commodi aut incommodi eſſe videatur, declarabo quam potero planiſſimè. Habet Cæſ. M.tas V. ſummatim quid in hoc negocio adhuc actum ſit, in quo mihi prudentia & conſilium deeſſe potuit, fides certè & voluntas non defuerunt. Cujus actionis eum exitum futurum ſpero, ut Cæſ. M.tis V. filia habeat in ſingulos annos ſupra xxx. Coronator. millia, niſi quid forte inexpectati intervenerit quod iſtos nobis difficiliores reddat: in quo res Poloniæ ſuſpiciónem mihi aliquando movent. Illud autem miror mihi ita dixiſſe Regem, M.tem V. ei auxilium in retinendâ Polo-

Poloniâ detuliſſe, cujus Regis dicto fateor me nihil reſpondiſſe, verentem ne qua captio ſubeſſet. Miror & illud, nullum hactenùs verbum de dote non numeratâ factum, ac vereor ne illud ad poſtremum reſervetur. Sed nec illud tamquam parergon prætermiſiſſe velim; in quodam colloquio Reginam matrem mihi dixiſſe, ſe vel ex eo cognoviſſe bonam erga ſe Cæſ. M.tis V. voluntatem, quod eam ſemper ad pacem eſſet hortata, cum cõtra facerent illi qui ei minùs benè vellent: quod Cæſ. M.tis V. conſilium cum diu ſecuta fuiſſet, eo nomine apud multos malè audiviſſe. Ego me, &c. Lugduni XXIV. Ianu. cIↄ. Iↄ. LXXV.

EPISTOLA XII.

HOdie Rex diſceſſit hinc Remos ut inauguraretur; quod fiet, ut mihi ipſe dixit, XIII. ſequentis menſis.

De totâ ratione ſtatuque iſtius Regni longum eſſet dictu, tantum dicam ſummatim magnam eſſe factam rerum mutationem, valdeque deformatam hujus regni faciem ab eo tempore quo primùm bellis civilibus labefactari cœpit, adeòque verſa, everſa & perturbata omnia, ut in mediâ Galliâ Galliam deſideres: fœdę paſſim ædificiorum templorum atque oppidorum ſtrages

 oculis

oculis occurrunt, omnibuſq; in regionibus loca oſtenduntur novitate cœdium & immanitatis notis infamia. Agricultura magnâ ex parte deſeritur, milite tam domeſtico quam externo ruris inſtrumenta in prædam vertente: mercatura jacet, civitateſque quę paulò ante maximo hominum conventu celebrabantur, nunc officinis taberniſque clauſis ſuam infrequentiam lugere videntur. Populi continuis exactionibus exinaniti, fremunt magnas ſine ullo fructu dilapidari pecunias, in alioſque uſus quam imperatę ſunt converti, itaque voces audiuntur penè ſeditiosè rationes repetentium. Multi ex antiquiſſimis familijs, multo magno uſu rerum præditi aut aulâ ut ſuſpecti arcentur, aut domi veluti neglecti relinquuntur. Præter religionis cauſam, quâ ferè hominum ſtudia in duas partes ſcinduntur, non deſunt alia in omnibus ordinibus odiorum ſimultatumq́ue ſemina. Imprimis magnopere inviſi ſunt Itali, quos imperitos rerum Gallicarum, nullâ virtute neque meritis in Rempub. neque natalibus claros rebus gerendis adhiberi ac primas tenere partes ægrè ferunt. Cancellarij magnæ in Galliâ dignitatis officio fungitur Biragus. Comes Retzius eſt inter Mareſchallos. Strotzius præeſt toti Gallico peditatui. Guadagnus eſt Seneſchallus Lugdunenſis, alijque ſimiliter ſummis funguntur honoribus, magnâ cum Gallorum invidiâ. Huc accedunt qui ex eâdem gente omnia ferè vectigalia redempta habent

habent, eaque tantâ acerbitate exigunt, ut inſolentes hujus injuriæ Gallos, tantum non ad ſeditionem adigant, Divique Bartholomæi feriarum exemplum in illis aliquando metuatur. Inter ſummas totius Galliæ familias ſumma diſſenſio odiaque pluſquam tragica, Guiſanam nimirum, Vendomenſem, Borboniamque; quibus adjungitur Memorançia, nec ipſa affinitatibus clientelisq; contemnenda. In Borboniâ plus potentię, in Guiſanâ plus apud Regem gratię, quâ ſi quando deſtituatur maximo illam caſu ruere neceſſe ſit. cujus rei haud dubium eſt in morte Regis periculum. Rex ipſe à conjunctiſſimis ſanguine atque affinitate metuitur magis quam diligitur. nam illi conſcientiâ conſiliorum ante mortem ſuperioris Regis initorum, hujus lenitatem, & eam quã prę ſe fert oblivionem pręteritorum, habẽt ſuſpectam; verenturque ne in aliud tempus differantur. Regem contra quo illi ſint animo Condęi fuga ſatis admonet. Tractus in quo factio Religionis causâ Regi adverſa, maximè radices egit, incipit à Rupellâ, pertingitque ad ripas uſque Rhodani: in quo continetur Guienna tota, & ea regio quam Linguadocam vocant, in quibus multæ ſunt illuſtres provincię Xanctones, Pictones, Limovices, Petrocorij, Vaſcones, Gallia Narbonenſis & alię plures. Trans Rhodanum verò in ipſo Delphinatu Monbrunus aliquot loca occupavit in quibus eſt Liuronium quod à Regijs obſidetur. Quod verò dixi ho-

 mines

mines adverſę Regi factionis multùm poſſe in Linguadoccâ & Guiennâ non ita accipiendum eſt ac ſi pręcipuæ & potentiores urbes Regi non pareant, ſed quod illi opportuna loca paſſim inſederint, unde rapinis & cœdibus cuncta miſceant: neque regiæ obedientiæ hominibus ullam ſecuritatem aut requiem permittant. eos verò ex ijs locis eijcere difficillimum ſit, quod ea multa ſunt, quod naturâ aut arte munita, quodque ab hominibus belli peritiſſimis exercitatiſſimiſque teneãtur. quibus illud imprimis fixum ſit, ut mortem potius oppetant quam ut ſe Regi credant. Nam pacis quidem nomen, quod unicum in his malis remedium eſſe poterat, crebrò his ſuperioribus diebus fuit uſurpatum, adfueruntque Avinione certi homines cum mandatis à Condæo cæteriſque ejuſdem factionis, ſed hactenus cõveniri nihil potuit. Rex quidem, modò ſibi ſua loca reſtituantur, in nullius conſcientiam ſe inquiſiturum pollicetur: ſed Regis fidem ſuſpectam illis facit Divi Bartholomæi memoria, neque aliud agi putant quam ut per fidem, illius diei reliquiæ deleantur. uſque adeò nullâcumque de causâ fidem violare conſultum eſt. Sunt etiam qui putant per hanc actionem tentari potius animos nonnullorum, ſi poſſint à communi causâ abſtrahi, quam ſincerè de pace agi. Miſſi tamen Rupellam nunc recens Legati, ſed interea neutri ab armis feriantur, neq; Rex obſidiones inceptas Liuronij & Luſignani ur-

ni ur-

ni urgere deſinit, neque illi è contra quibuſcunque rationibus Regi incommodare. Nam ab ejus Avinione diſceſſu, Aquas mortuas ſeu potius Sextias dictas occuparunt, quâ in urbe erant tormenta aliquot bellica, quæ illis magno erunt uſui. Eſt tamen adhuc quædam turris in poteſtate regiorum, cujus præſidio ſe urbem recuperare poſſe Regis Legatus Dux de Vzes nôn diffidit. quæ quidem omnia tollerabiliora videri poſſent ſi finis aliquis ſperaretur, ſed cùm ea quę urgent gravia ſunt, tum verò multò graviora indies impendere videntur. Atque hic ferè eſt pręſens rerum Gallicarum ſtatus. Ipſe Rex eſt ingenio bono & qualem etiam M.tas V. novit, cui ſi commodi rectores ſaniſque opinionibus imbuti adjungantur, in egregium Principem evadere poſſit. ſed verendum eſt ne intemperantium juvenum conſuetudo, regionis licentia, hominumque factioſorum & proprium commodum maximè ſpectantium conſilia, illum à recto itinere abſtrahant; in quo neque in fratre ea conſtitutionis firmitas videtur, quæ diuturnitatem vitæ polliceatur. Oratores qui advenerunt è Poloniâ hîc ſubſiſtere Regemque expectare ſunt juſſi, qui quidem non admodum faciles Regis aures habituri exiſtimantur, quod litteras adferant expoſtulatorias aſperioribus verbis ſcriptas, & penè minaces. Rex quidem in animo habere videtur Poloniam retinere, quòd id Regnum uni de liberis ſuis jam deſtinavit, id quo

facilius

facilius fiat matrimonium adfectatur cum Regis Sueciæ filiâ. Ego tamen extra ſuſpicionem non ſum hæc certis de cauſis ſimulari potius, quam re verâ agi. Cæterùm inter eos qui maximè Regnum Poloniæ ambire putantur, muneratur imprimis Dux Ferrariæ: ſed video hîc exiſtimari inclinare Polonos ut Tranſylvanum reliquis præferant. Dux Sabaudiæ in negocio Danvillano minimè exiſtimatur ſatisfeciſſe Regi, eà de causâ putant ſi de oppidis quæ reddidit ei eſſet integrum, non futurum tam liberalem. Liuronij obſidionis lentum videtur fore negocium; nam etſi bombardis ita murus dejectus eſt, ut quam liberrimus ad propugnatores aditus pateat; cum tamen in loco ſint editiore, adeò eſt difficilis per rudera terramque pedibus cedentem aſcenſus, ut jam bis magnâ cum jacturâ factum ſit ejus rei periculum. Ad hęc accedit, quod ductis intus foſſis ita ſe communierunt, ut ſummam fiduciam oppidi defendendi præ ſe ferant, obſidentibuſque pene inſultent. quemadmodum pręſens vidi, cũ Avenione rediens illac iter haberem. Cum veniendum eſt ad manus non modo viri conſtantiſſimè pugnant, verum etiam mulieres de loco ſuperiore, tantam ſaxorum procellam deijciunt, ut ſubeuntes plurimos vulnerent. ſex vidi in illis mœnibus poſita vexilla, quę ſummam quadringentorum militũ vix efficere exiſtimantur, tormentum bellicum habent nullum, præter ſclopetos manuarios. Quum eſſet interfectus

terfectus ictu bombardæ gener Monbrunij, qui ei oppido præerat: Monbrunius ſuperiore nocte quâ illac tranſivi, in ejus locum quatuor alios nobiles ſubmiſerat, cum aliquot militibus, qui per vigilias equitum Germanorum, quibus prçerat Comes Noguarolus tranſijſſe dicebantur. De Cardinalis Lotharingi morte jamdiu ſine dubio Cæſ. M.tas V. cognoverit. extinctus eſt febre continuâ, decimo octavo die quam ægrotare cœpiſſet,febri cauſam nonnulli putant attuliſſe,nocturnam ſupplicationem,ex quâ etiam Regina mater morbi nonnihil contraxit, ejuſque filia Vendomij conjux, moleſtum aliquot dierum catharrum. Sunt Avinione quatuor flagellantium ſe ſocietates,in harum unam adſcribi Cardinalis voluit,Regique fuit author ut idem faceret:Regem ferè ſecuta eſt tota nobilitas. Cùm his ſocietatibus dum ſupplicatum progrediuntur de nocte,ut ferè illarum conſuetudo eſt,ventus qui flabat frigidior, Cardinali nocuiſſe putatur. Nam biduò aut triduò poſt in hunc morbum lethalem incidit. fuit vir magnus & præcipuus Regis conſiliorum adminiſter & gubernator,cum quo multę litteræ interierunt, ſumma eloquẽtia,maximus rerum uſus, partium ſuarum amplificandæque familiæ vel fortaſſe cum diſpendio publico ſtudioſus. Ægrotantem Rex inviſit,inviſiſſetque ſæpius,niſi contagio ſuſpecta fuiſſet;mortuum deflevit. Cadaver cum Avinione efferretur Remos versùs, comitati ſunt

 uſque

Digitized by Google

uſque ad ejus urbis portas Cardinales quatuor, cum univerſâ ejus aulæ nobilitate, imprimiſque Regis frater & is quem hic Regem Navarræ vocant, quod officium fortaſſe hi duo libentiùs tribuerunt mortuo, quam tribuiſſent vivo. Regina ſenior uſque adeò morte ejus turbata eſt, ut eo die qui noctem ſequutus eſt quâ expiravit, videre eum ſibi viſa ſit valedicentem, his verbis: *Adieu Madame, Adieu Madame*, eumque adſtantibus oſtendere conata ſit. Dum hæc ſcriberem allatum eſt Luſignanum deditione veniſſe in poteſtatem Monpenſerij, militibus cum armis rebuſque ſuis exire ſeque in oppidum Bouteville & Pontem recipere permiſſis. Item Liuronij ſolutam obſidionem, militibus in pagos vicinos diſtributis, vnde commeatum introferri prohibeant. Sed difficile erit, ita ſeruare ne fallantur interdum. Lugduni XXIV. Ianuar. cIↄ. Iↄ. LXXV.

EPISTOLA XIII.

NEgocium Chriſtianiſſimæ Reginæ quod ad eius duarium attinet, ita ſe habet, quum veni Anionem, primo cum Rege cumque Regina Seniore colloquio generatim poſtulavi, vt Rex Reginæ viduę iuxta pacta dotalia ſatisfaceret. Ad quod Rex ſimiliter generatim reſpondit, ſe quoad eius poſſet omnia

omnia facturum quo Reginę ſatisfieret, id enim ei & Cæſareæ M.ti V. deberi. Paucis poſt diebus mihi dictum fuit litteras miſſas Lutetiam, quibus Reginæ duarium ſuum eſſet attributum. Roganti quâ conditione, reſponſum fuit; vt ducatus Bituricenſis ei aſſignaretur pro X. millibus Francorum in dominio. Eiuſdem verò ducatus vectigal ſalis pro XLV. millibus Francorum contributiones verò pro XXV. idque paucis verbis ita fuit annotatum, vt eſt in chartâ ſignatâ litterâ A. ea tamen charta falſam rationem continebat. Qui pręfatam chartam attulit ſcriba erat Secretarij Brulart, qui quidē Secretarius ei negocio gerendo ſcribendoque affuerat, ab eoque hæc annotatiuncula emanârat, exigente eam meo nomine dicto ſcribâ. Vt eam chartam vidi, conqueſtus ſuum cum eo ſcribâ, longè abeſſe dominij ſummam quæ requireretur ex pactis dotalibus: etenim hic eſſe X. millia cum ex pactis dotalibus LX. deberentur. Scriba excuſabat difficultatem temporum, & id incommodum adiectione XX. millium Frācorum compenſatum videri volebat. Idem contendit etiam ipſe Brulart, cum ad me acceſſiſſet; nam cum intellexiſſet me, vt cum ipſo de hac re cōferrem, ad eum venturum eſſe, ipſe pręvenire voluit. Paulò poſt cum me ad Regem Reginamque Seniorem iturum eſſe profiterer, vt de exiguitate dominij conquererer, itemque aditum ad Regem eâ de causâ poſtulaſſem: accedit me rurſus ille

H 2 Scriba,

ſcriba, & mihi à Brulart nunciat, litteras allatas Lutetiâ, quibus erat ſcriptum litteras Regis quibus erat attributum Reginæ duarium à Regio iſtius loci Senatu verificatas, ut dicunt, atque inter acta relatas, ſed prępoſtero more, nam verificatio illa tum demùm fieri ſolet, poſtquam litterę hujuſmodi ei redditæ ſunt ad quem pertineant, iſque ijs litteris ſibi ſatisfactum eſſe oſtenderit. Sed hoc factum non fuit ſine myſterio, ut multa alia in hoc toto negocio. Reſpondeo mea nihil referre, quid de litteris illis actum eſſet, quandoquidem id factum eſſet me abſente, nullo meo ſcitu neque conſenſu, qui hîc eſſem à Cæſareâ M.^te V. ut hoc negocium agerem: itaque me poſtridie conventurum Regem, ut feci, ſed id dumtaxat retuli, ut ſe Rex nihil omiſſurum diceret eorum quibus cùm Cæſ. M.^ti V. tum Chriſtianiſſimæ ejus filiæ ſatisfieri poſſet. imprimis communicaturum rem cum ſuo conſilio & cum matre. item viſurum quid Lutetiâ reſponſuri eſſent Reginæ Cæſ. M.^tis V. filiæ Conſiliarij. Quum intelligerem ex eo ſermone magni momenti eſſe Reginę Senioris ſuffragationem, poſtulo ad eam aditum, quod mihi ad paucos dies dilatum fuit, propter ejus invaletudinem, ſed cum melius habere cœpiſſet, arceſſitus ſum ad eam, atque eâ ipsâ horâ redduntur mihi à Chriſtianiſſimâ Reginâ Cæſ. M.^tis V. filiâ litterę, cùm manu Secretarij, tum ipſius propriâ ſcriptę, quarũ exemplum ſignatum eſt litterâ B.

Cum

Digitized by Google

Cum ijſdem litteris erant etiam ſcripta mandata, ſive inſtructio quædam quam Lugduno ad Cæſ. M.tem V. miſiſſem, niſi à prefatâ Reginâ miſſam putaſſem. Quod cum minùs ab eâ factum nunc intellexi, & eam & reliqua quæ ad hoc negocium pertinent, mitto ad Cęſ. M.tem V. ſub littera C. Sub littera D. eſt exemplum litterarum Regis, quibus Reginę dotem aſſignat, ad Senatum ſive Parlamentum miſſarum. His litteris ſcriptiſque leviter perlectis, pergo ad Reginam, queror de iniquitate aſſignationis, illa Bituricenſem Ducatum extollit, haud contradico, ſed de exiguitate dominij expoſtulo, illa fatetur: poſtremò dico eſſe plures difficultates atque incommoda in hac aſſignatione, quę ſi patiatur, ſcripto comprehenſa ad eam ſum miſſurus, illa ſibi gratum futurum & ut ita faciam jubet, pollicetúrque ſe filię bonam futuram Advocatam, nam eo verbo utebatur. Poſtridie ſcriptum ad eam mitto, quod eſt ſignatú littera E. quod & Lugduno ad Cæſ. M.tem V. miſi, tamen hîc adjeciſſe nihil obeſt. uno atque altero die interjecto, veniunt ad me duo Regis Conſiliarij Aurelianenſis & Lemouicenſis Epiſcopi. Summa fuit eorum ſermonis ut dicerent Regem eſſe cupidiſſimum ſatisfaciendi Reginæ Sorori & Cæſ. M.ti V. ſed eſſe in causâ temporis difficultates, ne quantum vellet efficere poſſet. Dominij ei ſupereſſe parùm idque grandi ęre alieno affectum. Sed tamen quando amplius dominium re-

 quiram

quiram Regem vel cum ſuo incommodo Foreſtum adijcere pro xx. millibus, Francor. ſpem etiam facere Remorantini. ſed tamen nundum planè ſtatuiſſe. de penſione cujus feceram mentionem aſſentiri. Rogo ut hæc deſcripta mihi mittant, ut ad ea replicare poſſim, ſi qua mihi minus recta videbuntur; illi ſe facturos dicũt. In hoc ſermone atque alijs omnibus, ſemper præ me tuli & ſum profeſſus, me quæ agerem non agere eo animo ut aliquid concluderem: neque enim aliud habere à Cęſ. M.^te V. in mandatis quàm ut ad eum mitteré Regis reſponſum, ejuſque vic iſſim expectarem, quod ad Regem referrem. Ac potuiſſem quidem litteras illas Regis de aſſignatione Lutetiam miſſas Cæſ. M.^ti V. pro reſponſo mittere; ſed mihi viſum fuit ex uſu & re Cæſ. M.^tis V. & Chriſtianiſſimę Reginæ ut præſuppoſito quod nollent, aut non poſſent quemadmodum ipſi dicunt, Reginę ſatisfacere juxta pacta dotalia, tantam ſummam in dominio ſolvendo, intelligerem quo deſcenſuri eſſent, & quomodo tandem Reginæ ſatisfacturi; ut ex eo Cæſ. M.^tas V. diſpicere poſſet ſine majore temporis jacturâ, quid ſibi porrò conſilij capiendũm eſſet, præſertim cum id tutò & ſalvo omni jure Chriſtianiſſimæ Reginæ fieri poſſet. Paulò poſt refertur ad me pręfatum ſcriptum E. cum ijs annotationibus in margine quas Cæſ. M.^tas V. videre poterit. hic video præter opinionem meam pro xx. millibus quæ ad do-

minium

Digitized by Google

minium adijciant XL. de aſſignatione quam fecerant detrahi. Itaque reſpondeo ut me cum Rege expoſtulaturum dicam & ſcriptum exhibeo quod eſt ſignatum littera F. Lugduni acceſſi ad ipſos Conſiliarios Aurelianenſem & Lemovicenſem, ex quibus quæſivi num ſcriptum quod Regi Avinione porrexeram vidiſſent, negant, tametſi eos vidiſſe credo. Expono quid me moverit: illi cavillari duobus modis. primum aſſerere nomine dominij etiam jus capiendorum vectigalium exactionumque venire, quod etiam primo colloquio attigerant, quod quidem dominium Galli mutabile vocant. deinde affirmant xx. millia quę eſſent addita ſupra ſummam LX. millium Francor. non adjecta eo nomine ut compenſaretur lucrum ceſſans accidentium, ſed pro penſione. utrumque refuto ut poſſum, & dominiũ hoc loco de immutabili accipi debere contendo, idque maximè argumento litterarum ipſius Regis quas Lutetiam miſerat, quarum exemplum habet C. M.tas V. In hoc colloquio Regis Conſiliarij vocarunt in dubium, an illic reſponſum habiturus eſſem ad meum ſcriptũ, propter multitudinem occupationũ Regis? quod mea ſanè parùm referebat, tametſi diſſimulabam. Sequenti die accedo ad Regem valedicturus; inter cætera dico me exiſtimare illum negociorum mole obrutum non potuiſſe vacare negocio meo, ille dicentem interpellat, & hoc ipſum affirmat, ſed brevi futurum Lutetiæ, ubi

ubi ſum habiturus reſponſum. ſic diſcedo. poſtridiè mittunt ad me Conſiliarij ſcriptum meum cùm eâ additione quæ eſt in calce ejuſdem ſcripti, ſub littera F. ubi nullâ ratione habitâ lucri ceſſantis xxx. millium Francorum extra dominium aſſignatorum, aut quæ ſaltem ita conantur aſſignare, volunt me eſſe contentũ eà conditione quam Rex ſuis litteris Lutetiam miſſis complexus erat, aut eâ quam mihi detulerunt. Ego afferenti reſpondi, nihil me hoc ſcripto morari, habiturum me Lutetiæ à Rege reſponſum. hęc ſunt in negocio hactenus acta inſtar cujuſdam proluſionis, ſalvo omni jure, judicio atque ſententiâ Cæſ. M.[tis] V. quo ſolum prætentare volui quid ſperari poſſit, ſi integra LX. in dominio non aſſignarentur; quemadmodum ipſi aſſerunt ſe facere non poſſe, & ego revera aliquâ ex parte credo his de cauſis. Vna pars Galliæ bello inutilis eſt, quâ continetur Delphinatus, Linguadocca & Guienna: altera duarijs occupatur Reginæ Scotię, Reginę Senioris, Duciſſæ Ferrarię Ludovici XII. filiæ, alimentis Ducis Alençonij, pignoribus multorum. poſſidet etiam nonnulla infans Portugalliæ, nomine maternę dotis. Reſervare etiam ſibi Rex vult, quo uxori de dote cautum ſit. Reliqua ære alieno, belli cladibus & miſerijs præſentis temporis, mirum in modum attenuata & exhauſta eſt. Pręterea video etiam optimis temporibus, regnante Cardinali Lotharingo, ne ipſi quidem Reginæ Scotię, fratris

ejus

ejus filiæ, integrum duarium aſſignatum fuiſſe in dominio, ſed defuiſſe XII. aut XIV. millia plus minus ut intellexi. Verum quidem illud eſt tam parvo æſtimatum fuiſſe illud dominium ut illa XLVI. aut XLVIII. pene facerent integra LX. Reginæ Leonoræ quæ dotem habuit CCCM. Coronatorum, aſſignatum fuit duarium in dominio XXXIX. paulo plus minus millium Francor. reliquum aſſignatum fuit extra dominium cum aliquâ compenſatione, ſed tamen ſine ullâ penſione. Idque optimis tamen illis temporibus. De Reginâ matre nihil eſt dicendum, ſiquidem illa quantam partem voluit, ſibi ſumere atque aptare potuit. Etiam affirmant omnes qui ſunt Reginæ fideliſſimi, non poſſe Regem ullâ condicione adduci, ut illa LX. millia integra in dominio repræſentet, quod ſi quis extorquere conetur, idem faciat ac ſi ipſum fidibus aut equuleo admoveat. Non eſt meum quicquam facere arroganter, aut velle conſilium dare Cæſ. M.ti V. cujus ipſe ſum egentiſſimus. ſed tamen ſi ex me qui ſim in re pręſenti Cæſ. M.tas V. quęrat quid mihi videatur? non habeam quod reſpondeam, quam mihi videre conſultiſſimum litteras à C. M.te V. ſcribi ad Regem, quibus ſignificet ſe intellexiſſe ex Seneſchallo, atque ex litteris meis, dominium Ducatus Bituricenſis aſſignatum eſſe filiæ ſuæ Chriſtianiſſimæ pro parte duarij, ſed ſupereſſe magnam partem quę in dominio aſſignata non ſit. cum verò pacta do-

talia ita ferant ut duarium in LX. millibus Francor. in dominio aſſignari debeat, petere M.tem V. ut ita Rex faciendum mandet. quemadmodum & æquitate ipſius & mutuâ amicitiâ dignum ſit. quod quidem eum facturum C. M.tas V. confidat, preſertim cum ex meis litteris intellexerit quantam ſemper præ ſe tulerit voluntatem, ut Reginæ filiæ ſuæ cumulatè ſatisfieret, quáque animo benevolo ſit erga C. M.tem V. Mihi præterea per Secretarium ſcribendum imperet, ſe intellexiſſe quid actum ſit in negocio duarij Reginæ filię. Quid Rex Reginæ per litteras Lutetiam miſſas detulerit, Item quid mecum Avinione actum ſit, quorum neutrum ſatisfaciat C. M.ti V. Sed videri ſibi æquiſſimum, dari locum pactis dotalibus, quæ aperta & clara ſint; ita omnē diſputationem vitatum iri, neque filiæ ſuæ ullam conquerendi cauſam relictum iri. Quod ſi hac de re ipsâ aliquid manu propriâ attingendum videretur, non eſſet fortaſſis abs re alienum. etenim hæ litteræ opportunè prolatę nonnulliſq; commonſtratę, magnum pondus haberent. atque hęc ad eum finem agenda cenſeā, non ut propterea multò plus dominij impetretur, nam id fieri poſſe planè diffido; ſed quod hac ratione ſtimulandos iſtos putem, quo facilius ad ęquas condiciones deſcendant, itaque Reginę compenſent quod in dominio deſideratur, neque illi aſſignare poſſunt; ut ſit potius cum lucro ejus quam cum damno. quod fieret,

exempli

Digitized by Google

exempli cauſâ, ſi ad xxx. millia quę conſignantur extra dominium, xx. millia adijcerent, etenim additis ad hanc ſummam xxx. millium in dominio aſſignatis, eorumque accidentalibus, quę ut minimùm x. millia efficerent, veniretur ad ſummam xc. millium Francor. quam ſortè non efficerent LX. millia in puro dominio aſſignata. Aut ſi ad ſummam LX. millium quam offerunt, partim in dominio partim extra, penſio accedat xx. millium, eadem rurſus ſumma efficeretur. quod ſi ad illa xxx. millia quæ jam habemus in dominio VIII. aut x. millia adjungenda conſentiunt, quod ſine dubio ſummum futurum ſit quo produci poſſint; equidem dubitem an accipiam nec ne. Nam hac ratione & à compenſatione reliquæ ſummę excludar, & à ſpe utilis penſionis. itaque vix perveniam ad ſummam LXXX. milliũ Francor. computatis omnibus tam ſorte ſeu principali quam accidentibus. Denique ita ſentio, ut ſi ratio iniri poſſit ut Reginæ partim in dominio partim extra dominium ad ſummam xc. millium Francor. qui xxx. millia Coronatorum efficiunt ſive compenſatione, ſive penſione id fiat, non malè cum Regina actum iri putẽ; his pręſertim temporibus & tali ſtatu rerum. Non nego tamen magnam habendam eſſe rationem ut hujuſmodi aſſignatio quæ extra dominium fiat, ſive ea ſumma principalis ſit, ſive penſio ſive compenſatio, certa ſit & tuta, non minus atque ipſum dominium, alioqui nullo

modo eſſet accipienda. de quo quidem non diffido, idque effecturos ſe Reginæ miniſtri in ſe recipiunt, & in his præcipuus, ejus Cancellarius Epiſcopus Pariſienſis, quibus tamen non niſi re benè perſpectâ atque exploratâ ſcio non eſſe credendum. Qui quidem Reginæ miniſtri magni æſtimant obtentum Foreſtum & Remorantinum, quod videretur Rex extra Bituriges Reginæ nihil attribuere conſtituiſſe. Nam Remorantinum quod putabam contineri finibus Biturigum ditionis, eſt Comitatus Bleſij, ſed finibus adjacet Biturigum, à quibus Foreſtum abeſt duorum aut ad ſummum trium dierum itinere. Atqui hęc ſunt Sacr. Imp. quę mihi de toto hoc negocio ſcribenda in mentem veniunt, non ut aliquid Cæſ. M.ti V. præſcribam, ſed ut ex re in quâ verſor, & ex locis ubi ſum, quid mihi poſſe videatur, humillimè ſignificem. illud unum ſummâ fide & diligentiâ exequuturus, quod mihi Cæſ. M.tas V. mandaverit. Quam Deus &c. Lutetiæ IX. Febr. cIↃ. IↃ. LXXV.

EPISTOLA XIV.

Redditę mihi ſunt V. Feb. Cæſ. M.tis V. litteræ, ultimo die menſis Decembris ſcriptę, quibus imprimis Cæſ. M.tas V. clementer me certiorem facit, quemadmodum Seneſchallus Lugdunenſis ei de aſſignatio-

ſignatione duarij Sereniſſimæ Reginæ in Ducatu Bituricenſi ſignificaverit, de quo negocio tam diffusè ſcripſi alteris litteris, ut nihil ſit opus pluribus hoc loco idem repetere. Tantum dicam nihil iſtos omiſiſſe artificij, quo Reginę ſuam illam priorem conditionem obtruderent. ſecundo loco ſcribit Cæſ. M.tas V. dixiſſe eundem Seneſchallum eodem modo habitum iri Reginam ac fuit vivente adhuc marito, quæ verba accipienda opinor ut curialitatis, ut dicunt, & Gallicè pronunciata. Nam planè video initio Aprilis, Reginę vivendum fore ſuâ quadrâ, hoc eſt ex ijs reditibus quos ex aſſignatis ſibi locis capiet, vel potius præcipiet. nam pluſquam Herculeus labor erit, pecuniam ad cultum & victum invenire, etiam cum magnâ jacturâ. quæ vel præcipua cauſa fuit has litteras per proprium hominem mittendi, ut C. M.tas V. clementer providere dignaretur, ut eſſet unde Chriſtianiſſima Regina pecuniam habere poſſet initio præfati menſis, ne ſemper ex alienâ miſericordiâ pēdere cogeretur. dum vixit Rex, Reginę ſuppeditabantur in ſumptum ccc. Francor. millia, deinde accisâ parte ſuppeditata fuerunt in trimeſtre XLV. Francor. millia. At deinceps ab initio Aprilis vix ſuppetit ejus dimidiū, ex quo Pariſienſem quidem manſionem laudo, ſed me ſumptus terrent, majores quam ut ferri poſſint. eà de causâ humillimè ſupplico C. M. V. ut Reginæ in Belgio tantum, ut ita dicam, creditum facere dignetur,

Digitized by Google

ut ad VIII. aut IX. millium Coronator. mutuum cum tollerabili fœnore ſumere poſſit, quod anno dimidio poſt, ex ſuis redditibus ſit ſolutura. alioqui verendum eſt, ne propter pecunię inopiam, nos iſti ad quamcumque conditionem accipiendam adigere velint. In quo non prorſus injuſtam cauſam habere videbuntur, quod Chriſtianiſſima Regina jam totis X. menſibus illorum ſumptibus vixerit, longè majore diſpendio quam factura fuiſſet aſſignato duario; cum Reginę ſuperiores vix bimeſtre exceſſerint. Etiam de eo humillime ſupplico Cæſ. M.tem V. ut ad ea quę alteris litteris ei ſcribo, reſponſum maturè dare dignetur, ut cum Rex huc redierit, quod eſt ut longiſſime futurum initio ſequentis menſis, mihi certum & diffinitum ſit, quid cum eo agere debeam. Equidem ut nunc ſunt tempora, vix aliam video Reginę ſatisfaciendi rationem, quam per æquipollens. Vrgendum tamen eſt ut meliore ſaltem utamur conditione. Sunt contractiſſima his temporibus & multis oneribus oppreſſa Galliæ dominia. Bituricenſe vix ęſtimatur VIII. aut IX. millibus Francorum. Borbonienſe paulo pluris, itaque ſex hujuſmodi ducatus vix expleverint in dominio, ſummam quæ Reginæ debetur. De quo negocio contuli etiam cum Pybraccho viro integerrimo & Cæſareæ M.tis V. valde ſtudioſo. Cenſebat ille litteris vrgendum eſſe Regem, vt pactis dotalibus ſatisface-

ret,

Digitized by Google

ret,non quod ad dominium quod iam conceſſum eſſet multum addi poſſe ſperaret. Sed quo veniretur ad huiuſmodi ęquipollens,quo Reginæ conditio potius redderetur melior quam deterior.Ego hunc hominem & bonitate ſingulari & magnâ prędirum autoritate, optarim videre Chriſtianiſſimæ Reginę Cancellarium. Sed eo munere nunc fungitur Epiſcopus Pariſienſis. Cęſ. M.tis V.reſponſum per eum hominem qui has defert, expectaturus ſum in Belgio,quo cras cum Chriſtianiſſimæ Reginæ veniâ cogito. Etenim nolim mihi cum iſtis quicquam eſſe negocij,antequam habeam à Cæſ. M.te V.reſponſum,quod differri multis de cauſis non expedit.Quod quęrit Cæſ. M.tas V. de dimiſſione Reginæ , ab omnibus intelligo Regem magnatibus aliquot & ſplendido comitatu adhibito,Reginam deduci curaturum quo M.ti V. placuerit , ſiue Viennam ſiue quocumque alio,ita factum eſſe cum Reginâ Scotiæ, quam Rex ſuperior in Scotiam vſque ſuis impenſis deducendam curauit.Vnus erit vt opinor, Cęſ. M.tis V. ſumptus in muneribus remittendiſq; eis qui ipſam erūt proſequuti.De Ziffra quærenti mihi ex C.M.te V.antequam iſtinc diſcederem,quid de eâ fieri placeret?Iuſſerat Cæſ. M.tas V. ut vnâ in itinere componerē quam ei mitterem,quemadmodum feci Spiræ adiunctis litteris, quarum exemplum cum litteris mitto : quæ ſi redditæ fuerunt , redditam quoque Ziffram opinor, ſin minus Ziffra

Digitized by Google

Ziffra vnà cum illis interierit. Mitto etiam aliam Ziffram quæ mihi facilior videtur. Miror Cæſ. M.[ti] V. nũdum redditas fuiſſe litteras, quas ſcripſi ſub finem Nouemb. antequam hinc proficiſcerer Auinionem. deſiderantur etiam à me nonnullæ Cęſ. M.[tis] V. litteræ, quarum exempla modo ad me miſſa ſunt, nimirum XI. & XVI. Decemb. Quod ad ſtatum Galliç attinet, iſti verſantur in labirintho inextricabili. pacem vellẽt, quia bello nulla ſalus, atque eos omnia belli inſtrumenta deficere incipiunt. Sed tamen pacem vellent ſaluâ exiſtimatione, id eſt ita ut Regi ſua oppida reſtituerentur. Sed aduerſarij pacem nolunt, niſi ſaluâ incolumitate, quam ſublatâ fide, humanç ſocietatis firmiſſimo vinculo, nuſquam alibi ſibi ponendum putant, quam in mœnibus & munitionibus. Sic illos tam diſſidentes opinionibus coniungere difficile eſt. Ac puto ſi quis ſe pacis Arbitrum offerat, bonam à Rege gratiam initurum, ut alienâ fide, quando ſuâ non poſsit pax ſaltem conglutinetur. Sed quis fidem ſuam libenter interponat, vbi tot violandæ fideì viæ pateant. Sed hoc etiam optant nonnulli, vt fœdus aliquod contra Turcam ineatur, vt Condęum in Hungariam cum magnis equitum & peditum copijs emittant, atque ita ſentinam, quâ laborare Galliam putant, exhauriant. ſed incaſſum. Nam cum rebellibus propoſitum ſit, ut faciendo bello ſuas aras, focos, liberoſque & coniuges tueantur, non

videoI

video quomodo ſe his deſertis in Hungariam extrudi patiantur. His conſentanea fere mecum nuper loquebatur Bolliverius vir magnæ autoritatis, qui defuncti Regis in Poloniâ fuit Orator, quem M.tas V. cum Rege Viennæ vidit. Is etiam in colloquio per quam ſanctè mihi affirmavit, Regem ſe ſubmonente, Mantuâ atque adeò denuò ex ipsâ Galliâ litteras ad ſuum Oratorem dediſſe Conſtantinopolim, quibus eum Cęſ. M.tis V. rebus ſuffragari juberet. quod ſi ſecùs feciſſet, valde cōtra Domini ſui voluntatem feciſſe. Conſilium Cæſ. M.tis V. quo Regem impertivit, ut bello abſtineret non neceſſario, tam à Catholicis quam ab adverſarijs totâ Galliâ celebratur, Regemque pœnitere dicunt quod id ſecutus non ſit; & patentibus Iani valuis in regnum venire maluerit, quam occluſis. Itaque unus Pybrachus, qui contra reliquorum ſententiam de conſilio M.tis V. pacem bello prætulit, etſi initio malè audivit, nunc ab omnibus valdè commendatur. Omnis belli culpa confertur in Cardinalem defunctum, Reginamque matrē, quorum ille nimio in adverſarios odio indulſerit, hæc verita ſit ne ſi pax eſſet, ipſa in ordinem redigeretur, ac regnare deſineret. Sacratiſſime Imp. non habeo quod adijciam, niſi illud quod M.tem V. exiſtimare etiam arbitror, illo longo & ſumptuoſo Avinionenſi itinere nō modò me planè exhauſtum, ſed etiam perſtrictum nonnullo ęre alieno, eâ de causâ humilimè ſupplico

Cæſ. M.tem V. ne qua mora interponatur in ſuppeditandis iſtius dimidij anni ſumptibus Hieron. de Cocq munerandis, nam ille rationem inibit, quemadmodum ad me transferantur. ſi modo Cæſ. M.tas V. operæ precium exiſtimabit ut huic officio diutius vacem. Cæſ. M.tem V. Deus conſervet &c. Lutetiæ IX. Feb. cIↃ. IↃ. LXXV.

Non offendat Cæſ. M.tem V. nomen Oratoris, nonnullis in locis à Gallis inculcatum; nam etſi recuſem & affirmem me Oratorem non eſſe, non poſſum tamen efficere, quin illi hoc titulo interdum utantur, quod fortaſſe non uſque adeò magni refert, quando ſatis conſtet me Oratorem non eſſe.

Modo arceſſiri me juſſit Chriſtianiſſima Regina, ait creberrimum eſſe rumorem, atque ab omnibus ſibi dici, Regem ducturum uxorem filiam Vaudemontij Lotharingi, ac die lunæ proximo celebratum iri nuptias Remis, neſcire ſe quomodo ſe erga eam gerat, quum Lutetiam advenerit, de loco ſive præcedentiâ, reliquiſq; ceremonijs. ſupplicatum velim Cæſ. M.ti V. ut de his rebus ſententiam ſuam litteris aperire ne gravetur: & an fortaſſe C. M.ti V. convenire videretur, ut ipſa in aliquem locum ſecederet, utpote Amboſiam ad filiam, aut quo M.ti V. videretur. De his Regis amoribus puto

Digitized by Google

me ad C. M.tem V. ſcripſiſſe, litteris ut opinor XVI. Novemb. datis. Certum eſt Regem ob hoc matrimonium penè clam & pauciſſimis conſcijs contractum, magnâ invidiâ flagraturum totâ Galliâ. Vendoſmij ſoror jam nubilis deſtinatur Duci Alençonio. ſic iſte adjungetur Borbonijs. At Rex frater, Guiſianis, quæ an ſatis rectis conſilijs adminiſtrentur, non ſatis ſcio; ac vereor ne ad reliqua mala Galliæ hoc etiam. Eo magis ſupplicandum videtur C. M.ti V. ut hunc hominem quàm citiſſimè remittat, cum pleniſſimis de rebus omnibus mandatis. Hæc futura Regina nata eſt ex ſorore ni fallor Comitis Egmundani.

Me denuò revocavit Regina, & mihi litteras communicavit Reginę ſenioris, quibus illam certiorem faciebat de nuptijs Regis filij ſui, quę eſſent futuræ proximâ die Martis, eamque rogabat ut omnem ferè comitatum ſuum ad ſe mitteret, qui futurę Reginę inſerviret. Ita plerique diſceſſerunt, ut morem gererent Regi, nonnulli priorem Dominam tam ſubitò mutare noluerunt. inter quos fuit cum uxore Comes de Fieſco, cujus fidei aliquod teſtimonium in C. M.ris V. ad me litteris dari velim. Iam vero C. M.tas V. etiam atque etiam conſideret, quid facto ſit opus, neque ullus amplius relinquitur tergiverſandi locus. Statuendum eſt C. M.ti V. de re Chriſtianiſſimæ filiæ, & quò eam tra-

duci velit, alioqui non video quomodo hîc diutius ſalvâ dignitate manere poſſit, ubi omnes novæ Reginæ adhęrebunt; utque fit, orientem ſolem adorabunt. jam verò notum eſt illud, ubi non ſis qui fueris, non eſſe cur velis vivere: de quo non dico plura, fretus cùm judicio C. M.tis V. tum pietate erga amantiſſimam & obediẽtiſſimam filiam. pecuniâ imprimis opus, aut credito, eâque de causâ in Belgium me confero, ut ſtatim atque hinc nuncius redierit Bruxellam, ſumptâ pecuniâ unde C. M. V. juſſerit, ad Reginam redeam, in quo etiam atque etiam C. M.tem V. humilimè ſupplico, ut quamprimùm nuncium hunc huc remittat; ut ſi fieri poſſit reditum Regis antevertamus, aut ſi non poterit fieri, ſaltem brevi ſubſequamur, ne hîc multa quę nolimus & videre & ferre cogamur, ut ſolet in hujuſmodi mutationibus fieri. Eodem die.

Quo loco ſit negocium Chriſtianiſſimæ C.M.tis V. filię ſcripſi Lugduno, quo ex loco veni Lutetiam, ubi cum Reginę conſiliarijs hoc totum negocium contuli, quorum hæc eſt ſententia, non poſſe ſine injuriâ Reginæ negari ejus partis compenſationem quę ei in dominio aſſignari non poteſt; quod ego hactenus contendi, non quidem tranſigendi causâ, ſed potius eo rem deducendi, ut probabile eſſet Cæſ. M.ti V. ſatisfacturum, ut integra LX. Francor. millia in dominio attribuerentur, nec

tur,nec factum antea,& his temporibus, minimè omnium fieri poſſe. Ne Reginam quidem Scotię id obtinere potuiſſe,florente Galliâ & regnante patruo Cardinale,penes quem unum erat omnis poteſtas. Iam unam partem Galliæ bellis civilibus ita affectam eſſe, ut pene eſſet inutilis,alteram quæ extra tumultum ſit,ita duarijs alijſque oneribus oppreſſam,ut nulla ſpes relinqueretur aliquid ad dominium addi poſſe. tamen æquum eſſe ut quod deceſſerit, alijs reditibus optimis locis conſtitutis repleatur: ſic ut aſſignatis xxx. millibus Francor. in dominio, reliqua xxx. millia unà cum penſione xx. milliū Francor. ita aſſignentur, ut eorum non minus certum ſit vectigal, quam ſi pariter in dominio attributa eſſent. Ego me &c. Lutetiæ IX. Febr. cIↃ.IↃ. LXXV.

EPISTOLA XV.

NUdiuſquartus veni Bruxellam, ibidem C. M.tis V. mandata expectaturus, quę quam celerrimè adferri multis de cauſis expedit,quemadmodum ipſammet C. M.tem V. judicaturam exiſtimo. quibus acceptis me quamprimum ad Chriſtianiſſimam Reginam referam:cujus negocia eo ſunt ſtatu quo ſuperioribus litteris M.ti V. demonſtravi. Sed me malè habet quod mihi quidam denunciant, etſi Galli liberaliſſimè

polliceantur, tamen minimùm præſtaturos: magnumque fore Reginę negocium in fructibus percipiendis, vixque dimidiam partem conſecuturam. eaque in re Reginæ Leonoræ exemplum adferunt. de quo etſi non ſum ſine curâ tamen volo ſperare futurum melius. Exitu iſtius menſis terminabitur trimeſtre, quo Rex Reginæ ſumptus etiam ſuppeditat, quo exacto relinquetur ea proprijs ſumptibus, quos non video unde capere poſſit, niſi ſuppeditante C. M.te V. nam ut etiam ad maximè indignas preces deſcendamus, tamen verendum eſt ne audire cogamur, ideo nos de accipiendâ duarij conditione tergiverſari, quo Regem non neceſſarijs ſumptibus oneremus. cum alioquin proſpicere nobis poſſemus, acceptâ quam nobis offerunt aſſignationis conditione. quod quidem totum inſtitutæ actioni valde cōtrarium eſt. Cui rei unum remedium eſt, ſi nobis hic VIII. aut IX. millium Coronatorum ſumendorum poteſtas facta ſit, quemadmodum Cæſ. M.tem V. clementer curaturam confido. De reliquo video hîc nonnullos hujus provincię adminiſtrationem deſtinare Chriſtianiſſimæ Cęſ. M.tis V. filiæ. quod munus malim equidem uni de Cæſ. M.te V. filijs deferri. ſed tamen ſi quod ſit impedimentum, ut in hujuſmodi rebus fieri ſolet, aut illi ad meliorem conditionem vocentur, multas cauſas iſti adferunt quibus id ex uſu communi fore affirment. His paucis diebus cœptum eſt ad Bredam oppi-

oppidum de pace agi, ab hominibus ab utraque parte ad eam rem delegatis, faxit Deus ut benè procedat, quemadmodum omnes optare & multos ſperare video; ſed tamen intelligentes homines valde dubitare. Nam religionis negocium, certum eſt magnam allaturum eſſe difficultatem, propter eos qui in Hollandiâ & Zelandiâ religionem publicè mutarunt. quomodo enim hi ut ſua bona divendant, & quodammodo in exilium abeant induci poterunt, præſertim cum ex illis plurimi ex eo genere hominum ſint qui ſolo piſcatu atque ex mari victum quęritare ſoleant, à quo depulſi, fame eis pereundum ſit; Regi autem conſtitutum ſit, nullum in ſuâ ditione tollerare, qui non Romanę religionis ſit, qui nodus pleriſque habetur indiſſolubilis. cum ſcriptis litteris quas proximè miſi cum quodâm de reditu Reginæ ſermonem haberem, is mihi dixit ſe certò ſcire Cardinalem Eſtenſem reducendæ Reginæ provinciam jampridem ſibi depopoſciſſe, hominem multis & opimis ſacerdotijs divitem, ſic ut ejus reditus ſummam c. millium Coronatorum implere exiſtimētur. De eo quidem nulla dubitatio relinquitur, quin Rex antiquâ conſuetudine Reginam ad Cæſ. M.tem V. quam honorificentiſſimè deducendam curaturus ſit. Ego me &c. Bruxellæ, VII. Martij, cIↃ. IↃ. LXXV.

EPI.

EPISTOLA XVI.

AD diem xxi. Martij redij Lutetiam, ubi Chriſtianiſſimam Reginam ſanam & benè valenté offendi, & valde lœtam ob ſpem brevi reviſendarum MM.tum VV. Regi reddidi Cæſ. M.tis V. litteras, eique expoſui quæ M.tas V. poſtularet, nimirum ut Reginæ ſatisfieret juxta pacta dotalia. ille reſpondit liberaliter, ut ejus mos eſt, ſeque de conſilij ſui ſententiâ conſtituturum dixit. ſed & Regina ejus mater operam ſuam perquam benignè detulit. ſed verba hæc ſunt. hoc ſatis conſtat, aut nihil aut perquam exiguum ad ſummam xxxii. millium Francor. in dominio jam aſſignatorum adjectum iri. Summa lx. millium Francor. numquam fuit repleta, ne optimis quidem temporibus. Nunc verò etiamſi maximè velint, tamen vix poſſunt, niſi ſi minuta quædam & maximè disjunctis in locis ſita accipere velimus, quibus ferè carere ſit melius. De reliquo, reſtabit ut Reginæ, quam fieri poſſit optimè caveatur, optimâque ejus conditione tranſigatur; in quo diutius tergiverſandi non relinquitur locus, nam certum eſt in Reginæ præſentiâ multum ſitum eſſe ad eam rem momenti. ubi ea abierit, verendum eſt, ne aut mutentur aut refrigeſcant iſtorum voluntates; ac

tes; ac proinde iniquiore conditione tranſigendum ſit. ſed tamen per hæc ſacra tempora fieri nihil potuit, poſt Paſcha demum ut opinor hæc actio reſumetur. Quod quæris num paſſuri ſint C. M.tis V. neptem unà cum matre iſtuc traduci, equidem video ejus rei non maximam eſſe ſpem, hujuſmodi exemplo in omni antiquitate in Galliâ, quod ſciam, incognito. itaque ubi hęc cõſumpſerint, longum eſt iter, puella eſt imbecilla, cum propter ętatem tum propter invaletudinem, eò poſtremo venient, ut ſe more atque inſtituto majorum prohiberi dicant; cui exceptioni vix video quid reſponderi poſſit. Sed tamen ſi C. M.ti V. videatur amplius faciendum periculum, litteras eàdem de re ad Regem Reginamque matrem dandas cenſuerim, neque ego ullum lapidem relinquam intactum quem ei rei profuturum judicavero. quod ſi nihil proficietur, nec damni quidẽ fiet multum. Cæterum C. M.tis V. litteris id modo poſtulari velim ut videndæ puellę fiat facultas, quod ſi conceſſerint, eadem erit penes M.tem V. remittendi facultas, quæ nunc eſt penes eos dimittendi. Quod ad res Gallicas attinet, etſi adeò videbantur profligatæ ut nihil accedere poſſet, tamen haud parvis momentis indies fiunt deteriores, circumferẽte arma per totam Linguadoccam & Guiennam Danvillâ, atque ejus conſortibus, plurimâque nobilitate, quæ ad eos quotidiè confluit. Nam ſanè dici non poteſt, quantopere per totam

Galliam alienatę ſint omnium à Rege Reginâque voluntates, ex quo bonos & prudentes viros ultimam iſtius Regni ruinam proſpectantes, fugam circumſpicere, deque migrando in aliquas longinquas oras cogitare video, neque tamen interim pacis actio negligitur; nam partim huc venerunt adverſæ partis delegati, partim expectantur. eos imprimis poſtulare audio religionis & conſcientię libertatem, deinde ut ordinum conventus celebrentur: in quibus multa, quæ contra Remp. eſſe exiſtimantur, corrigantur. quod potiſſimùm contra Reginam Seniorem, Italoſque homines magnâ dignitate, pręcipuiſque muneribus fungentes inſtitui putant. Sed cum omnia ſint mala, tum nihil pejus incredibili quadam pecunię inopiâ. Rex quidem à ſingulis qui aliquid poſſunt, aut pecuniam habere exiſtimantur, mutuo ſumit quod poteſt, ſed ne ſic quidem ſatis proficitur. placebat cum Oratoribus qui in Poloniá deſtinantur, bonam pecuniæ ſummam mittere ad c c. ut quidam putant Coronator. millia. ſed non arbitror eam ſummam confici poſſe, ac longè minore contentos fore. Reginam novam quidam ſuſpicantur gravidam, quod moleſtæ fuerunt ei aliquot diebus crebræ vomitiones. ab hac Reginâ aliquanto videtur alienior Reginę ſenioris animus, quemadmodum aliquando haud diſſimulanter oſtendit. Chriſtianiſſima Regina C.M.tis V. filia ſtatuit à ferijs Paſchalibus proficiſci Ambo-

Digitized by Google

Amboſiam ut filiam inviſat, & valedicat, nam propter imbecillitatem, veretur eàm movere loco. erit in eo itinere paulo plus minus uno menſe. Quod aliàs C. M.ti V. humilimè ſupplicavi, denuò ſupplico, dignetur jubere ut quod mihi unius dimidij anni intertentionis nomine debetur, Dom. Rudolpho Khnen C. M.tis V. ſupremo ſtabuli magiſtro numeretur, quo eis ſolvatur quibus debeo, & meis in poſterum neceſſitatibus proviſum ſit. Deus conſervet &c. Lutetiæ 1. April. cIↃ. IↃ. LXXV.

EPISTOLA XVII.

CVm eſſet iſtuc rediturus Comes Noguarolus, non potui ei nihil ad C. M.tem V. litterarum dare etſi nihildum in negocio Chriſtianiſſimæ Reginę eſſet confectum, ſed ejus exitum indies expectarem. de quo quidem toto negocio in diſceſſum Petri curſoris reſervabo. ipſe Petrus huc venit XV. die menſis ſuperioris, mihique à Cæſareâ M.te V. litteras reddidit, ex quibus cum C. M.tis V. mandata cognoviſſem, petij ad Regem aditum qui mihi prius ad Reginam Seniorē, junioremque datus fuit. Nam Regem pacificationis negocium, quod tunc ut cum maximè fervebat, operā mihi dare non patiebatur. Itaque Regis juſſu primum acceſſi ad Reginam Seniorem, cui cum Cæſ. M.tis V.

 man-

mandata expoſuiſſem, litteraſque reddidiſſem, illa ſuo more egregiam erga M.tem V. voluntatem benevolentiamque oſtendit, non ſine commemoratione officiorum quæ C. M.as V. in filium Regem contuliſſet, & quantum eo nomine M.ti V. deberet. Quæſivit deinde qui valeret M.as V. ubinam eſſet, & num brevi Frācoſurdiam deſcenſura eſſet? ad quæ cum reſpondiſſem quæ mihi convenire videbantur. ad extremum petere cœpi, haberet negocium filiæ Cæſ. M.tis V. commendatum, illa liberaliter pollicita, quęſivit an non proximè Regis Conſiliarij Aurelianenſis & Lemovicenſis ad me fuiſſent, reſpondi fuiſſe, ſed nihil inter nos conveniſſe: quærenti cauſam? dixi, cum perſpicuum eſſet quid Reginæ ex pactis conventis deberetur; quod ei his temporibus præſtari poſſe negarent, tamen nihil ęqui ab illis proponi quo Reginę ſatisfieret; ſed ea modò quę Reginæ manifeſtam jacturam detrimentumque continerent. in quo ſi pergerent, non dubitaturum me Regem obſecrare, ut mihi pariter atque illis diem certam atque horam conſtitueret, quâ nos audiret, adeò confidere me ęquitati cauſę meæ, & Regis Iuſticię, ut planè ſperarem me cauſam apud eum obtenturum, illa non improbabat, & Regem libenter conceſſurum affirmabat. & quod ad ſe attineret, in omnibus rebus ſe Reginę adjutricem fore pollicebatur. Dum hæc ageremus intervenit Regina nova, erga quam ſimiliter functus ſum gra-

tula-

Digitized by Google

tulationis officio, quod mihi Cæſ. M.tas V. mandaverat, illa ſe humilimè gratias agere Cæſ. M.ti V. reſpondit, operamque ſuam atque officia Cęſ. M.ti V. cum multo verborum honore detulit, ita à Reginis dimiſſus, biduò poſt introductus ſum ad Regem, cui cum expoſuiſſem quæ à M.te V. habebam in mandatis, ille reſpondit, ſibi viciſſim ſemper fore gratum ea de M.te V. intelligere quę ei eſſent optatiſſima. uxorem ſe duxiſſe quo ſubditorum ſuorum commodis votiſque conſuleret. eo autem libentius è domo Lotharingicâ eam cœpiſſe, quod non ignoraret quanta Cæſ. M.ti V. cum eâ domo propinquitas neceſſitudoque intercederet. de reliquo officia ſua C. M.ti V. ſtudioſè detulit, ac poſtremò mihi mandavit, facerem ſe certiorem cum tabellarium vellem remittere, nam ſe per eum Cæſ. M.tis V. litteris velle reſpondere. Cum poſthęc Reginæ negocium ei in memoriam redigerem, petijt ne ferrem iniquo animo, non longiſſimam moram, dum pacis negocium, quod erat in manibus ad exitum perduceretur. tum ſe Conſiliarijs ſuis daturum negocium, ut mihi operam darent. ſe quidem quæcunque poſſet Reginæ cauſa impensè omnia facturum. Pacis negocium cujus ipſe meminit, diu occupatum tenuit Regem, de quo vixdum ſciri poſſe arbitror, quo evaſurum ſit. Omnes quidem pacem optant, atque ipſe imprimis Rex, ſed graves admodùm ſunt conditiones, quæ à rebellibus

Digitized by Google

feruntur; vt M.ᵗⁱᵃˢ V. ex adiuncto ſcripto videre poterit. Sed Rex tam erit vt puto in concedendo reſtrictus, quam illi in poſtulando immodici. brevi eorum legati, ad eos à quibus miſſi ſunt cum Regis reſponſo dimittentur, ad diem D. Ioannis redire iuſſi, ut referant quæ renunciabuntur. Interea video ſpem ſummam eſſe pacis, eamque penè ab omnibus, credo quod ita volunt, pro exploratâ haberi; ut ut ſit, vereor ne facilius fiat quam ſeruetur, ne ſit cum magno vicinitatis incommodo, cui tranquillitatē Galliæ magnam tempeſtatem allaturam credibile eſt. neque enim ij ſunt Galli, aut ita iam multis ab annis aſſuefacti ut quietem agere poſſint; nec parum expedit huic regno inquietorum & factioſorum hominum multitudinem alibi potius graſſari quam in ſuis viſceribus, atque aliam quamvis palestram habere in quâ ſe exerceant quam Galliam. Pax quoque inter hunc Regem & Reginam Angliæ ijſdem conditionibus confirmata quibus proxima. Refert Orator qui ex Angliâ redijt, Reginam cum primò ad eam acceſſit, ita jocatam. Nam ſtatim quæſiuiſſe, num Rex duxiſſet vxorem? illo affirmante, & quam duxiſſet commemorante; illam ſubieciſſe. Iam illud defuncti Cardinalis teſtamenti primum caput fuit. Sed me miſeram! quid de me fiet? quæ me Cardinali nupturam exiſtimaueram, nimirum una mihi ſpes reliqua eſt, ut me Pontifex Rom. uxorem ducat. Die circiter XVII.
ſupe-
Digitized by Google

ſuperioris menſis Belleguardius & Pibraquius Regij Oratores hinc profecti ſunt, ille per Venetos facturus iter, iſte per Germaniam & Bohemiam, vt mihi dixit. Cauſam Belleguardij circuitus eſſe puto negocium pecuniarum, nam cum iſti cc. millia Coronator. in Poloniam ſe miſſuros polliciti ſint, ac facilius ſit è pumice aquam exprimere quam hîc tantam ſummam hoc tempore conficere; & Romam ad Pontificem, & Thurinum ad Ducem Sabaudiæ, & ad Venetos mittere dicuntur ut pecuniam inveniant. Quin etiam Marchionatum Saluzianum CCCC. millibus Coronatorum venalem propoſituri, aut certè pignori oppoſituri creduntur. Sed tamen ſuſpicor eos plus ſpei quam rei, & plus aureorum verborum quam nummorum in Poloniam laturos. Videntur mihi etiam conſultò tardiùs proficiſci vt ex initijs illorum conventuum quid porrò ſpei ſit conijciant & ſi actum intelligant, ſerò veniant honeſtiuſque illis ſit, ita Regnum amittere, quam ſi deſtitutione ſuâ aut pecuniæ inopiâ amiſiſſe viderentur quod ſi ſpes ſuperſit, atque in illis cōuentibus expectentur, veniant animis illorum hominum per litteras, pollicitationes, nuncioſque & antecurſores ſuos, tempore item & morâ ita mitigatis, vt non ſit difficile quicquid attulerint, eos conuentus & electionem quam minantur, eludere: ſed hæc mea coniectura eſt. Quum hoc maximè ſcriberem, allatum eſt Pybracquium in agro oppidi

oppidi (quod hîc Monpliar vocant) ditionis Ducis Wirtembergi, ab exulibus quibuſdam Gallis qui ejus iter obſervârant exceptum, interfectis duobus de ſuis comitibus captum, ſed paulò poſt ejus oppidi Gubernatoris finitimorumque diligentiâ liberatum, quo caſu maximum vitæ periculum adijt, argenteamque ſupplectilem & quicquid habuit in nummis amiſit, quæ omnia VII. aut VIII. mill. Coronator. æſtimantur. Hîc nuncius Regem vehementer commovit, ſed ut audivit eum in oppidum Monpliar incolumẽ ſe recepiſſe, mox eum & numeratâ pecuniâ & reliquis rebus ad iter neceſſarijs ſublevavit & Soliturnum in Helvetios ſe conferre juſſit, ut ibi rebus omnibus quæ iter poſceret denuò ſe inſtrueret. quæ res indicio eſt nequaquam Regi eſſe neglectui res Polonicas. Scripſi aliquando, niſi me memoria fallit, miſſos fuiſſe quoſdam in Suediam, qui depictam ejus Regis filiæ imaginem huc referrent. ea imago nuper allata eſt, miro caſu tantâ iſtius novę Reginæ ſimilitudine, ut penè ejus pictura judicari poſſit, eadem proceritas corporis, idem color, eadem ferè oris & faciei lineamenta, quam ad rem etjam adjuvat Gallicus veſtitus, quo illa fuit induta cum pingeretur. Nollé prętererire, veniſſe huc frequentes Helvetiorum Oratores, ut in pacificationem iſtam ſe interponerent, deprecatorumque officio fungerentur. eandem perſonam ſuſcepturus exiſtimatur Regis ſocer Vaudemontius, qui unà

Digitized by Google

unà cum Duce Lotharingiæ intra paucos dies hîc affuturus dicitur. Cauſa tamen adventus ſunt nuptiæ, quibus filius eius Marchio Nivernius uxorem ducturus eſt Martigis cuiuſdam nobilis & ſtrenui ducis è familiâ Luxemburgenſi divitem filiam. Sacratiſſime Imp. de VIII. millibus Coronator. qui in uſum Chr^mæ. Reginę deſiderantur, id modò reſpondit Illſingus, ſe nullum neque ſuo neque Ballerorum nomine teruncium Auguſtæ cogere potuiſſe. Itaque Cæſ. M.^ti V. per litteras ſignificaſſe, ut videret num quis in aulâ repereritur mercator, qui fide illorum, tantum Reginæ expenſum ferret Lugduni, de quo Cæſ. M.^tis V. mandata expecto. Chr.^mam Reginam materno nec injuſto deſiderio uiſendę antequam diſcedat filię affectam, à ferijs Paſchalibus ad hanc diem pecunia remoratur, & remorabitur etiam diutiùs, niſi prouideatur, ut penè verear ne inſalutatâ filiâ non ſine dolore hinc proficiſcatur, ſed & multa alia incidere poſſunt, ut non deſtitui Reginam omni pecuniâ, & ad exiſtimationem & ad uſum, & multas eius oportunitates, non parùm interſit. De negocio duarij eius de quo ſpero me breui certiùs aliquid habiturum ſcribam copioſè per Petrum tabellarium. Interea me &c. Lutetiæ xv. Maij cIↃ.IↃ.LXXV.

Mihi hodie indicatum eſt eſſe quendam qui ſe profiteatur daturum mutuò Reginæ x. millia Coronator. quæ poſtea ex eius reditibus recipiat, quod ſi verum eſt,

& id tollerabili fœnore fieri poſſit, puto eâ conditione uſuram Reginam, quandoquidem multa quotidie incidant, in quibus pecuniæ inopia magnum detrimentum & moram adferre poſſit. Quale eſt illud: res poſtulat ut eorum locorum quæ Reginæ offeruntur, reditus æſtimentur, ne pluris ei dentur quam valeant. at ea æſtimatio minoris fieri non poteſt quam c c c. aut c c c c. Coronatis itaque ſine eâ pecuniâ ad finem negocij peruenire non poteſt, pręterea mihi ita ſignificatur nolle iſtos à ferijs D. Ioannis Reginæ amplius ſumptus ſuppeditare, ſed velle ut ſuâ quadrâ viuat, atque ex ſuis reditibus, quod uereor ne ita urgeant, ut recuſari non poſſit. Nam Rex certè in ſuis ſummis difficultatibus plus penè prę-ſtitit quam potuit. Ac iam menſis agitur decimus, & eo amplius, ex quo Reginę familia ſine pecuniâ vivit, ſolis (ut ita dicam) cartis & papyro, id eſt, aſſignationibus, quarum Deus novit qualem multæ habituræ ſint vim. Ipſi quidem adeò omni pecuniâ deſtituuntur, ut iam multoties factum ſit, quod ante hæc tempora factum erat numquam; ut non eſſet vnde pararetur cibus nobilium atque aulicorũ in palatio apponi ſolitus, & cogeretur quiſque qui ieiunus manere nollet, ſibi de prandio proſpicere. Aſſerunt etiam qui Reginæ domus rationem benè cognitam habent, Reginæ atque eius familiæ commodiùs & conſultiùs fore, ut ſuis ſumptibus vivat, quam cum ijs difficultatibus quibus vixit hacte-

nus

Digitized by Google

nus. Bolguardius Regis Oratorum alter, qui per Italiam habebat iter, in morbum incidiſſe dicitur.

EPISTOLA XVIII.

Qvum me primo iſtius menſis die Chriſtianiſſima Regina monuiſſet, eſſe quendam qui per equos diſpoſitos iſtac proficiſceretur in Poloniam, ſcripſi per eum quę tum mihi in mentem veniebant. Interea x. eiuſdem menſis die, venerunt ad me iuſſu Regis, iidem Conſiliarij, qui me Auinione convenerant, me fruſtra diu contendente ut ſe à me adiri paterentur. Eorum fuit prolixa oratio, cuius hic fuit exitus, ut omnibus adhibitis Rhetoricis coloribus, probare conarentur, alterutrâ earum conditionum quas Lugduni propoſuiſſent me debere eſſe contentum. Nimirum vel ſolis Biturigibus & Comitatu Foreſtenſi, reliquo in portorijs & vectigalibus aſſignato, nullâ accidentium eius, autpa rtium caſualium habitâ ratione. Nam ut totam ſummam LX. millium Rex in ſolo dominio conſtitueret neque antea ſervatum unquam, neque ſi maximè uelit, in tantâ rerum ac temporum iniquitate facere ullâ ratione poſſe. Ego contra pacta nuptialia proferebam, quę obſervari ęquum eſſet, quęque mihi Cæſ. M.tas V. inſtructionis loco eſſe voluiſſet, à quâ recedere non poſſem, quibus tamen pactis ſi minus ipſi, quemadmodum

dum dicerent, ſatisfacere poſſent, darent operam ut tam ęqua proponerent, quę non vererer ad Cæſ. M.tem V. ſcribere, non deſperare me Cæſ. M.tem V. pro ſuâ facilitate aliquid neceſſitati condonaturam, quod ſi ea adferre pergerent, in quibus apertum Reginæ damnum contineretur, me neque ſcribere auſurum M.ti V. & in eo permanſurum, ut LX. millia in dominio aſſignarentur. Illi multis contra dictis ita diſceſſerunt, ut ad Regem ſe relaturos, meque deinde de reſponſo certiores facturos dicerēt. Volui in eo colloquio adeſſe unum de Chr.mæ Reginæ Secretarijs, uirum cognitę erga eam fidei, ut eorum teſtis eſſet quę eſſent inter nos acta. Neque enim eo ſermone non multa inter nos ultrò citroque dicta ſunt, quorum meminiſſe eſſet operę pretium; atque in his quemadmodum ſupradictorum locorum eſſet facienda æſtimatio, non ex locationibus proximorum annorum, ut ipſi uolebant, quibus quam maximo locata fuiſſent, ſed ſic ut collatis in unum decem annorum locationibus, una ſumma conficeretur, cuius decima pars unius anni æſtimatio cenſeretur. Quâ ratione comitatus Foreſtenſis, qui iudicio iſtorum quotannis XX. millibus Francorum æſtimabatur, vix ad XII. rediret, & Bituriges cum Remorantino vix ad VIII. aut IX. ita ut defutura eſſent ad ſummam XXXII. millium, quæ in Dominio promiſerant, X. aut XII. millia: longè ſecùs atque ipſi rationem inibant. Quâ de causâ cum

Digitized by Google

ex ipſis quæſiviſſem num ſi quod ad promiſſum XXXII. millium in dominio duarium deeſſet, id prȩſtaturi eſſent, atque in dominio ſuppleturi; illi ſuppletum iri dixerunt. Sed tantum video futurum difficultatis, ut quod promiſerunt uix præſtaturos ſperare audeam. Quinimò non deſunt, qui eos putent hac obiectâ difficultate, non permanſuros in ſententiâ, ſed eò denuò redituros ut Reginam ſolis Biturigibus uelint eſſe contentam, ita tamē ut ei partim ex dominio partim ex accidentibus, partim ex portorijs & vectigalibus in eo Ducatu ſibi attributis, cùm duarij tum penſionis nomine, ſumma X. millium Francorum conficiatur. In quo nulla dubitatio occurrit, quomodo Reginæ cautum eſſe poſſet. Nam ſi ea Reginæ cum Rege communia futura ſunt, periculum adibit Regina ne ſibi nihil relinquetur, Rege præueniēte & quantum ei viſum ſit ad ſe auertente. ſed ei rei remedium futurum putant; ſi ea vectigalia integra Reginæ aſſignentur, atque eius nomine locentur, Rege penitus ab eorum communione excluſo: ita enim non minus Reginæ rem futuram in tuto, ac ſi in puro dominio duarium haberet aſſignatum. quod ſi quis id vereatur, ne nihilominus Rex huiuſmodi vectigalia Reginæ eripiat, eâdem ratione ſi vis atque iniuria valere debent, etiam dominium auferri poſſet. Duciſſâ quidem Sabandiȩ ita Bituriges poſſedit, eaque conditio commoda & fructuoſa exiſtimata fuit. Reginȩ certè Conſiliarij, qui

Digitized by Google

earum rerum uſum & noticiam habent, affirmare non verentur eâ re melius conſuli Reginæ quam ſi multum habeat in dominio. Nam hoc pacto Regina haberet XL. millia ſupra LX. veluti pro lucro, quod lucrum non ſit tantum perceptura ex accidentibus ſiue partibus caſualibus, præſertim cum abſens futura ſit, quæ res datura ſit miniſtris occaſionem, rem ſuam melius gerendi quam Dominæ, multaque ad ſe domum auertēdi. præterea magnum dominium magnis ſumptibus obnoxium eſt, neque multis litibus caret, quæ etiam multum abſumunt & quod ad lucrum ex partibus caſualibus attinet, putant eius bonam partem futuram miniſtrorum prędam. Fore quidem ex eâ Reginæ maiorem facultatem remunerandi ſuos ſeruitores: quod illis multa conferre poſſit officia atque beneficia, ſed hoc abſentis Reginę non magnopere intereſſe. Nihilominus ſi eo veniant Regis Conſiliarij, volent, ut dixi, in illis XL. millibus etiam Reginæ penſionem comprehendi, ita ut XX. millia pro accidentiū lucro computentur, XX. loco ſint penſionis. Sed ne ſic quidem mihi iſta cōditio ſuperiore deterior videtur. faciamus enim ut deductis omnibus impenſis accidentia dimidiæ partis duarij in dominio aſſignati, nimirum XXX. aut XXXII. millia Francorum valeant X. millibus Francorum, faciamus item datum iri dimidię partis non conſignatæ in dominio compenſationis nomine, altera X. pauld

plus

plus minus,aberunt certè xx.millia à.c.Quod ſi quis dicat hęc penſione xx. millium Francorum ſuppletum iri,eſſet id quidem commodum, modò certum eſſet, hoc caſu talem penſionem datum iri,cuius ſolutio ſperari poſſet:ſed ego vereor ne ſecus fiat.Regijs exiſtimãtibus abundè Reginæ ſatisfactum,dimidiâ parte duarij in dominio aſſignatâ, & adiectis pro reliquâ dimidiâ parte quæ non ſit aſſignata in dominio x. Francorum millibus pro compenſatione lucri ceſſantis.Nam mihi ſiquidẽ dubium non eſt quin quo plus Reginæ in dominio ſunt aſſignaturi, eo in reliquo cauſam eius ſint facturi deteriorem minuſque ei gratificaturi. Nam illis quidem aſſignando dominio plus decedit,quam accedat Reginæ.Rex utitur dominio pro ſuo arbitrio,paruâ habitâ iuris priuatorũ ratione,multaque pręter ęquum & bonum vertit in rem ſuam,quod Regina factura nõ eſt, ut mirandum non ſit, ſi dominium illi fructuoſius ſit,quam futurum ſit Reginæ. Ad hæc multa ſunt ex dominio oppignerata, quibus redimendis Rex ſuum dominium melius facturus ſit, in quo rurſus diuerſa Reginæ conditio eſt.Nam quum poſſeſſio eius morte finiatur,nemo ei ſuaſerit ut ſuos reditus quibus indies ad victum & cultum habebit opus, liberandis bonis oppigneratis impendat,cum eius heredibus nullum obolum quiſquam eo nomine ſit redditurus. Quibus de cauſis omnino ſuſpicor ſi de dominio paulò largiuſcu-

lo

lo Reginæ gratificati fuerint, inutilem tantum penſionem adiecturos. Nam nec Reginæ Leonoræ ullam penſionem datam, & ex eâ quę fuit aſſignata Reginæ Scotiæ iamdiu quicquam ei ſolui deſitum intelligo. Quod ſi C. millia Francorum accipiantur cum ſolis Biturigibus, minùs deſperauerim comprehenſam in illis penſionem, bonâ nec deteriore quam reliquâ conditione, Reginę aſſignatum iri. Eâ de causâ ſi Regij Conſiliarij ad hanc conditionem deſcenderent, etiam atque etiam cogitandum videtur, an ea reijcienda eſſet. De quo maturè ſcribendum ad Cæſ. M.tem V. viſum eſt, quo maturius deliberare, & me celerius de ſuâ voluntate certiorem facere poſſet. Etenim non parum refert non protrahi iſtud negocium diutius. Nam ſi qui ullius gẽtis certè iſtius mobiles ſunt animi voluntateſque leuibus momentis huc illuc impelluntur. Eâ re dum tempus eſt, dumque ſe ſatis faciles & æquos præbent, non videtur prætermittẽda occaſio; ne ea nequicquam poſtea requiratur; nam multa accidere poſſunt, cuiuſmodi multa tempus quotidiè adfert quę nobis eos reddant difficiliores. & habent excuſationem præcipuam & valde ſpecioſam, difficultatem temporum, ut quicquid non libeat, aſſerere poſſint, fieri non poſſe. Ego me, &c. Lutetię ..... Iunij cIↄ. Iↄ. LXXV.

EPIS-

EPISTOLA XIX.

POſt aliquot colloquia habita cum ijſdem Regijs Conſiliarijs, cum quibus habueram Auinione, & item cum Reginâ ſeniore, decrevi nō differre diutius dimiſſionem tabellarij, cum ijs conditionibus quibus omni re tentatâ, nulla ſpes relinquebatur obtineri, poſſe meliores, non ero longus in referendis ſingulorum colloquiorum diſputationibus, non tam quod is labor me ſcribentem, quam quod audientem Cæſareã M.tem V. fatigare poſſet. ea dumtaxat referam quæ maximè ad rem pertinere videbuntur, quorum ſumma fuit, non poſſe ipſos in dominio quale poſtularemus amplius præſtare quam Auinione & Lugduni polliciti eſſent. nimirum uſque ad XXXII. millia Francorum, reliqua XXVIII. darent in exactionibus & vectigalibus (aydes & gabelles vocabant ipſi) ſed tamen cum rogati eſſent à me, an certò ad eam ſummam dominium implerent, impleturos ſe receperunt. Itaque tum eis demonſtratum eſt longè abeſſe ut Biturigum Remorantini & Foreſti dominia, iuſtâ atque uſitatâ ęſtimatione factâ, tantam ſummam conficerent, imò vix impletura ſummam XX. millium Francorum. Eâ re cognitâ, paulò poſt Marcam ſuperiorem ſe adijcere dixerunt, quæ

N abundè

abundè ſufficeret explendę præfatæ ſummæ, ſed id fieri non poterit, ne adiectâ quidem (nam duę ſunt) inferiore. Cum quęrerem quid ergo compenſationis darent ob lucrum ceſſans accidentium ſeu partium caſualium? illi pernegabant deberi quicquam, nam & xxviii. millia reliqua in dominio aſſignari, ſiquidem vectigalia illa (aydes & gabelles) dominij partes eſſent, dominijque nomine continerentur; ſed penſionem ſe daturos Reginæ xx. millium Francorum quotannis. Quum quærerem quo in loco aſſignatam? illi reſpondebant optimo, quo nam tandem? A l'Eſpargne. negabam fore utilem huiuſmodi penſionem, illi contra, & cum merâ liberalitate Regis concederetur, aſſerebant accipiendam quoque loco aſſignaretur. Ego contendebam non tam penſionem quam compenſationem fore iacturę quam faceret Regina. darent itaque tali loco aſſignatam unde certa numeratio ſperari poſſet. longè abeſſe illorum reſponſum ab expectatione Cæſ. M.ᵗⁱˢ V. & ab inſtructione quam mihi dediſſet, videlicet ne à pactis connubialibus vel latum unguem diſcederem, ideò mihi ius nullum eſſe ſtatuendi, ſed tamen ſi vel compenſationẽ commodam adiecisſent, vel etiam penſionem dediſſent, non recuſare me tabellarium, qui erat ad manum, ad Cæſ. M.ᵗᵉᵐ V. cum reſponſo mittere, ut ea quod ei videretur ſtatueret: equidem videbam eos hic fixiſſe clauum, quod antea fore cogitaveram, ut ſi compenſationem

tionem feciſſent quam exigebam, penſionem nullam darent niſi inanem, ſin penſionem ex quâ fructus & ſoluti o expectari poſſet, conceſſiſſent; compenſationis nomine nihil darent. At dubitatio nulla erat, ſi bonâ fide ageretur, quin penſio x. aut XII. millia librarum ad ſummum non excederet. Poſterâ die ijdem mihi renũciarunt, penſionem aſſignatum iri ubi vellem, nimirum in ipſis Biturigibus in officio coactoris ſiue receptoris generalis contributionum ſiue taliarum, ubi erat commodiſſimum, quod ibi maximam partem duarij ſui eſſet habitura Regina. Cum hæc ita eſſent acta accedo ad Epiſcopum Pariſienſem Reginę Cancellarium, ut hoc Conſiliariorũ Regis reſponſum ei communicarem, ille gratulatur, & rem benè geſtam putat, quod tantum in dominio obtineri potuerit, nam ſe planè metuiſſe, ne illi difficultate deterriti, quod promiſiſſent non præſtarent. Marcam non eſſe contemnendam regionem, ſed tamen non ſuffecturam ſuperiorem, itaque & inferiorẽ adijci futurum neceſſe, ſed in eo impetrando nihil futurum negocij quandoquidem eadem res ſit, ſed tamẽ ęſtimatione factâ ne ſic quidem XXXII. millia Francorum confectum iri. Enimverò quando res huc perducta ſit, nolle ſe reticere quid ſentiret. Nam ſe quidem ſemper iudicaſſe magis fore è re Reginę ſi plus haberet in promptâ & expeditâ pecuniâ quam in dominio. atque hoc initio facto, magni dominij incommoda enume-

 rare

Digitized by Google

rare cœpit, quę hîc prætereo, quandoquidem eo ſcripto collecta ſunt ubi ſeparatim commoda & incommoda duarum conditionum quę Chriſtianiſſimæ Reginæ proponuntur recenſentur. Quare ſi res ſuo permittatur arbitrio, ſe paratam pecuniam multo dominio prælaturum, & potius ita accepturum Bituriges, ut ante habuerat Duciſſa Sabaudiæ, quę pluſquam C. millia Francorum ſingulis annis ex ijs perceperit. à uero non videbantur abhorrere quæ dicebantur, & ſæpe antea eâ re in diſquiſitionem deductâ, hęc opinio aliquot aſſertores habuerat. mouebat me etiam eius uiri autoritas, qui abſente Reginâ in eius negocijs præcipuam eſſet habiturus autoritatem, & eſſet futurus ejus conſilij caput. dico non videri mihi conditionem aſpernandam, modò reditus illi certi ſint, & Rex concedat. Ille certiſſimos fore reditus confirmat, & confidere ſe, non recuſaturum Regem, quinimò ſi uelim, ſe ita acturum hoc negociũ, ut ultrò roget. nam ſe oſtenſurum Regi ejuſque conſilio, & Regi magis ita expedire & ipſi etiam Reginæ. Regi enim qui pręſens ſit & ſuo dominio pro arbitrio utatur, plus commodi dominium allaturum; contra Reginæ quæ abfutura ſit & per Procuratores rem ſuam adminiſtratura, utiliorem fore paratam pecuniam. Dico ſi ei ita videatur, rem proponat, eâ conditione quã ſciat me ſemper profeſſum, ut omnia integra ſeruentur Cæſ. M.ti V. tamen velle me hac de re prius ad Reginam re-

ferre

ferre, ita facio, & poſtea de Reginæ ſententiâ ei ſignifico licere illi per Reginam eam rem agere. triduò poſt venit ad me Comes Retzius Mareſchallus Galliæ ejus Epiſcopi frater: declaratâ egregiâ ſuâ erga Cæſ. M.tem V. voluntate atque officio, mihi gratulatur quod negocium Reginæ geſſerim ex ſentētiâ. De eo multis actum ſe præſente in concilio, magnâ varietate ſententiarum, tandemque obtentum ut Reginæ hæc conditio deferretur, nimirum ut cum Biturigibus haberet C. millia Francorum in ijs computato dominio, reſeruatis tamē Regi partibus caſualibus, vel ſi Regina etjam partes caſuales velit, haberet præter illas tantùm xc. millia Francorum ſed ſibi videri me poſſe paruo negocio à Reginâ ſeniore impetrare, ut ad c. millia etjam partes caſuales accedant. Adeſt paulo poſt etjam Epiſcopus, atque eadem memorat. Rogo nùm quid ex vectigalibus contributionibus & exactionibus Regina ſuâ autoritate atque nomine perceptura ſit, ita ut ſit futura cōtractuum ut vocant domina, utque in nullius poteſtate ſit illam impedire? ita futurum illi reſpondent. ſolam penſionem tamen percepturam manibus coactoris generalis, dico me malle non ſeiungi penſionem à conditione reliquæ ſummę, ſed ita concipi verba contractus ut veluti per modum tranſactionis c. millium Francorum ſumma deberi dicatur. Id illi me obtenturum non putant, propter conſequentiam. Nam hac ratione viſum iri tamquā

compenſationis nomine ultra LX. quæ deberentur, dari adhuc XL. itaque idem exacturas ſequentes Reginas, propterea ſejungendam penſionem eamque ſub ſuo nomine relinquendã, & à coactore ſiue quæſtore generali contributionũ ſiue taliarum Biturigenſiũ ſumendã: de ſolutione nullã futuram dubitationẽ, urgerẽ modò apud Reginam ſeniorem, ut præter illa c. mill. Franc. etjam partes caſuales auferrem. Poſtero die acceſſo duos, quorum fides atque integritas prorſus ab omnibus probabatur, utrumque Reginę ſervitorem; cum ijs confero de hoc negocio, & utram iſtarum duarum conditionũ præferant quæro? Illi rem diligenter examinant, ac demùm re in utramque partem diſputatã, ob eas cauſas atque incommoda quæ conjunxi in præfato peculiari ſcripto, in eam ſententiam magis propendent, ut eam conditionem præferant quâ XXXII. millia in dominio promittantur. nihilominus paucis poſt diebus accedo ad Reginam ſeniorem, eique narro pręter ſuperiorem conditionem quâ mihi XXXII. millia in dominio eſſent oblata, etiam alteram deferri, mihi verò eſſe in animo de utrâque ad Cęſ. M.tem V. perſcribere, modo ad illa c. millia Francorum quę offerantur ejus operâ & beneficio etjam partes caſuales accedant. Illa pollicetur operam ſuam, ac non ita multò poſt acceſſiri me jubet, dicitque parvo labore hoc ſe à Rege impetraſſe, valde alioqui proclivi, ut nihil non faceret in gratiam Reginę ſoro-

ſororis ſuæ,& Cæſ. M.tis V. cui omnes fortunas ſuas referret acceptum. etenim fuiſſe eum in poteſtate Cæſ. M.tis V.à quâ ſi non eſſet dimiſſus,ne regnaret quidem, M.tem V. Regis opinioni quam habebat de ejus fide egregiè reſpondiſſe. Idcirco cupere & debere ſe omnia causâ Cæſ. M.tis V. ac proinde daturum operam (nam de eo etjam cum illâ agebam) ut Reginam Cæſ. M.tis V. filiam, quo M.ti V. viſum eſſet, quam honorificentiſſimè deducendam curaret. In hoc colloquio etjam illud poſtulavi ut Regina aliquos mihi attribueret,cum quibus agere poſſem de formâ conſcribendi cõtractus, ſiquidem ſæpe uſuveniret ut convenire inter aliquos videremus,ſed ubi eſſet ventum ad conceptionem contractus,diſſidij aliquid incideret, quod rem diſturbaret, negocijve exitum remoraretur. C. M.tem V. allato reſponſo conſtituturam de reditu filię ſuæ.Nolle me tum oboriri aliquid novæ difficultatis, ut denuò eſſet opus ad M.tem V.remittere,atque ita Reginæ diſceſſum protrahere, illa aſſentitur,pauloq́ue poſt,ad eam rem deſtinantur ijdem illi Regij Conſiliarij Aurelianenſis & Limovicenſis, priuſquam tamen cum illis ad manus veniam,mihi advoco homines, juris & rerum iſtarum uſuperitos, eoſdemq́ue egregiâ fide & probitate cognitos. De quorum conſilio quantum fieri poſſit Reginę ſecuritati caveam, eaque excipiam omnia quæ prætermiſſa nocere aut controverſiam facere poſſint. ea ſubnotata

notata poſtero die coram ijs Conſiliarijs recitantur, illi diſſentiunt in paucis, in poſteriore conditione nolunt Remorantinum Biturigibus conjungi, neque enim factam ejus rei mentionem ab Epiſcopo Pariſienſi, ſed actum de ſolis Biturigibus. etjam formulam quam præſcripſeramus, ut penſio loco compenſationis eſſet, impugnabant, re ad Concilium Regis relatâ, tollitur in poſteriori conditione Remorantinum, reliquis capitibus, uno atque altero verbo non magni momenti immutato, ſubſcribit Rex. Quod in poſteriore conditione Remorantinum ſuſtulerint, in priore reliquerint, hæc adfertur cauſa, quod Rex ſibi eum locum relinqui voluerit, utpote ſibi & liberis quos habiturus eſſet valde neceſſarium. Cum itaque Epiſcopus de ſolis Biturigibus egiſſet, nec Remorantini mentionem feciſſet; licuiſſe Regi, id quod neque petitum neque conceſſum eſſet ſuo jure tollere. Quod in ſuperiore conditione facere non potuit. ſed dixiſſe fertur ſi Regina ſuperiorem conditionem acciperet, tunc rogaturum eam, ut ejus loci poſſeſſione ſibi cederet, quandoquidem eo propter abſentiam ipſa uſura non eſſet. quod beneficium ipſe rependeret alius loci conceſſione. Vt ut ſit parum in eo damni facit Regina, quando aliâ ratione ei reponitur quod hîc decedit; nam in Remorantino plus eſt amœnitatis quam utilitatis. Iam vero ſacratiſſime Imperator ex ijs quę ſupra dicta ſunt videt C. M.tas V. quo ſtatu

ſit

ſit Chriſtianiſſimæ Reginæ negocium, ac liberum eſſe M.ti V. vel alteram de ſuperioribus conditionibus accipere vel neutram, omnia enim integra ei ſemper reſervavi. Hoc unum de iſtis conditionibus dicam, neutram pro temporibus & malis quibus nunc conflictatur Gallia aſpernandam videri, modo fides & conventorum conſtantia ſervetur, quod neque polliceri neque præſtare auſim, ſperare tamen malo quam malè ominari. Hoc quidem vehementer timeo, ne ubi ad alterã iſtarum conditionum accedere velle C. M.tem V. cognoverint, nodum in ſcirpo quærere, atque aliquid cacalumniari incipiant, quo noſtra conditio fiat deterior, in quo tamen recuſandi non detur locus, revocatâ jam C. M.tis V. filiâ, & rebus omnibus ad iter paratis, nullâ ad manum pecuniâ ſi diutius manere ſit opus, nam ipſi ſine dubio noſtris ſumptibus vivere nos vellent. Quâ de causâ C. M.tem V. humilimè ſupplicatum velim, dignetur præſcribere quid facto ſit opus, ſi quid vel de conditionibus in quas convenimus perverterent aut detraherent, aut negarent ſe poſſe conficere XXXII. millia promiſſa in dominio, aut ſi abſint III. aut IV. millia ab hac ſummâ, aut quid ſimile incideret, num aliquâ de his cauſis iter hoc nomine protrahendum eſſet donec à M.te V. reſponſum allatum eſſet, aut quid omnino faciendum. Deus Cæſ. M.tem V. &c. Lutetiæ . . . . . Iunij cIↃ. IↃ. LXXV.

Digitized by Google

Virginem Borboniam Domini Monpenſerij filiam è Monaſterio cui præfuerat, in Germaniam profugam nupſiſſe Principi Aurengiano, hîc nuper allatum eſt, creditumque ab omnibus.

EPISTOLA XX.

SCripſi proximè per Petrum Tabellarium quę ſcribenda videbantur quæ iam iſtuc perueniſſe arbitror. has litteras ſcribo Chr^{mæ}. Reginę iuſſu. nam cum me hodie arceſſiri iuſſiſſet, dixit me ſatis intelligere ex præſenti rerum ſtatu, maximèque ex adauctâ acerbitate cuſtodiæ Mareſchalli Memorantij, & quod Rex militem conſcriberet, rem ſpectare ad non dubium bellum, ex quo ſequi eſſet neceſſe maximam rerum omnium perturbationem. de eo ſe mihi mandare ut ſcriberem ad Cæſ. M.^{tem} V. ut ad reliqua hoc quoque calcar accederet maturandæ ſuæ profectionis atque reditus. Se quidem quamdiu tolerari potuerit, patienter toleraſſe, ſed eo rem venturam prævidere ut prorſus ferri non poſſet. ego me ita facturum humilimeque ei morem geſturum reſpondi, tametſi crederem Cæſ. M.^{tem} V. ultimis litteris adductam nihil reliqui facturam ad ejus reditus celeritatem eâque de causá has litteras ſerò venturas. Quę cum C. M.^{ti} V. demonſtravi

jam

jàm me officio defunctum exiſtimo, neque enim mei adhortatione aut precibus opus eſſe ut C. M.tas V. amantiſſimæ filiæ tam juſto deſiderio ſatisfaciat. Bellum quidem ſi vera narrantur, videtur eſſe prę foribus, atque ejuſmodi bellum ex quo non aliqua alleuiatio ſperari debeat, ſed potius calamitatum & miſeriarum Galliæ cumulus: tametſi ad ſummum perveniſſe neque acceſſionem admittere videbantur. quod ſi Condæus & reliqui exules, cum magnis copijs, ut fama eſt, ſuis ſubſidio venerint, nihil eſt mali quod non timendum ſit, tum verò hujus regni ſumma atque ſtatus à tenui filo pendere maximumque ruinę periculum adire videbitur. Neque enim deinceps cujus in concilio ſententia valere debebit, aut quis honore & gratiâ reliquis perferatur, vel quis regnum adminiſtret certabitur, ſed planè quis regnet. Si Rex ſuperaverit, obſcurum non eſt, quin ſuo ſit uſurus jure & lege in perduelles animadverſurus. At ſi adverſarij vicerint, Tyrannidis reum agent Regem neque erit gratiæ aut veniæ locus, fortunâ ſæpe periclitatâ, fide ſæpius violatâ, & poſtremò penitus ſublatâ. Timendum eſt etjam majus incendium quam videatur, ac ne multi quorum nunc odia latent, quos vel acceptarum injuriarum vel patriæ calamitatum tędet, Condæo ſe aggregent. publica certè vota ab eo ſtabunt, adeò omnibus inviſa pręſens iſtius regni & ratio & adminiſtratio. De Memorançio quod dictum eſt, ita ſe

habet. Quum res ejus bono loco eſſe videretur, multoque levius tractaretur quam conſueviſſet, allato de fratris Dampvillę nuncio, maxima ſubitò mutatio eſt facta, arctiuſque cuſtodiri cœpit, & Regis juſſu amoti ſunt ab eo omnes qui ei miniſtrare ſolebant, ut neque medicus neque coquus domeſticus ei relinqueretur, cū graviſſimè ęgrotaret; ſed ei miniſtrarent quos Regi ſubſtituere viſum eſſet. quæ res magnopere matrem reliquoſque ejus neceſſarios perterruit; hac ratione viam ad tollendum eum veneno ſtrui judicantium. Dampvillam quidem adeò mortuum habet Rex ut ejus omnia officia & pręfecturas alijs jam tribuerit. putatur interijſſe febre peſtilentiali, ultimo die menſis ſuperioris. Amici ejus eum nundum pro complorato habent, ſeque ſpe quadam incertâ conſolantur. Equidem ſpero Chriſtianiſſimę Reginæ nullam moram aut impedimentū ad iter objectum iri, ſed tamen, ſi id penitus extra controverſiam non eſſet, neſcio an commodius iter factura eſſet per Belgium. Quæ certè via, ſi reliquæ non fuerint expeditæ, ei ſemper patebit. Sed C. M.tas V. optimè quid opus ſit facto dijudicabit. Venit tandem Luſitanus Orator & heri Chriſtianiſſimam Reginam ſalutavit. Rex ex valetudine quâ tentabatur convaluit. Deus Opt. Max. &c. Lutetiæ XIII. Iunij, cIↄ. Iↄ. LXXV.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

DVx Lotharingiæ unà cum Vaudemontio intra duos aut tres dies hîc affuturus dicitur. gravis & prolixa pacis conſultatio diu hîc tenuit omnes ſuſpenſos. Cujus ad extremum videtur fuiſſe exitus, ut neque leges ſuas omnes perferre potuerint rebellium deputati, quos vocant, neque eos Rex ad ſuas conditiones pertrahere. itaque diviſis ſententijs, mediam quandam rationem tenere placuit eaque conſcribi capita in quæ ſi conſonarent Condęus & Damvilla & confœderatæ civitates, pax ſtabiliretur: ſin minus arma reſumerentur. ſed erit plus difficultatis in bello gerendo quam in decernendo, omni Galliâ miſerandum in modum afflictâ, & Rege ipſo ad extremas anguſtias rei pecuniariæ redacto. Religionis negocium quod unum Belgicam pacem diſtinuit, non habuit hîc maximum pondus, in libertatemque conſcientiarum haud gravatè Rex conſenſit, alia fuerunt concoctu graviora; ut in ſingulis provincijs rebelles duas urbes haberent, præter eas quas nunc tenent, in quas tamquam arces ſi quid tumultus oriretur recipere ſe poſſent. Vt in concilia quæ parlamenta vocant ſuæ quoque factionis conſiliarij admitterentur. Vt equitibus Germanis, quos

conduxiſſent ſtipendium ſolveret Rex. Vt Regni ordinum concilium indiceretur: in quo magnum adit periculum Reginæ matris autoritas. & item alia, quæ ex adjuncto ſcripto M. ᵗᵃ V. cognoſcere poterit. Numquam pacis auidior tota Gallia fuit. numquam maiore ſtudio in pacem univerſa conſenſit. aliàs pacem detrectauit modo Eccleſiaſticus ordo, modo popularis. nunc vox una eſt omnium, nullam ſalutem eſſe bello. Sed ſuſpicor ne diuturna non ſit, quando eam vis atque neceſſitas extorſit, præterea video mirum in modum labefactatam Regiæ Majeſtatis reverentiam, animoſque hominum excuſſo Regij nominis pudore tamquã, iugo efferatos ferri. mira eſt in plerſque rerum nouarũ cupiditas ſummum odium quorundam hominum, ſummæ inter Principes ſimultates atque inveteratæ & cæde neceſſariorum confirmatę, quæ omnia ut componantur aut tollantur, magni laboris, largi temporis, ſingularis conſilij & prudentię indigent. Video hîc quoſdam præcipuæ dignitatis homines ita exiſtimare, futurum ex uſu Galliæ ſi quidam illuſtres homines extra Galliam exterminentur, & cupida belli nobilitas peregrè militatum abeat, patriamque ſuſpicione & moleſtiâ liberet, ex quo prædicere mihi poſſe videor, Galliæ tranquillitatem (ſi qua eſſe poterit) magnam foris tempeſtatem concitaturam. Hoc loco quidam nec fortaſſis intempeſtiuè, amiſſorum Inſubrium magno cum do-

lore

lore reminiſcuntur, quod ea palęſtra utilis eſſet, exercẽdę conformandæque iuuentuti Gallicæ, & ſanguini deprauato quo illa abundat diminuendo abſque incommodo reliqui corporis. Iam publico voto Condæus deſignatur qui copias ducat in Belgium & ſuppetias ferat Aurengio nam hunc extra Galliæ finem ſummoveri oppidò conducere exiſtimant. Habet ille per ſe non contemnendas opes, neque eò ſecius factionis ſuæ copijs ſublevabitur, quæ eum rebus geſtis clariſſimum & autoritate potentiáque quam ampliſſimum videre cupiat, quo longius ab omni periculo ſub tanti Principis umbrâ degat. At homines regiarum partium ſtudioſi, per hanc occaſionem liberari Galliam moleſtâ & inquietâ turbâ gaudebunt, & arenam in quâ digladientur potius eis obtigiſſe Belgium quam Galliam. Nam nihil eſt Gallo præſertim nobili inimicius ocio. Siſyphi potius ſaxum voluat, quam ſit ociosus, laborem quæritat, magna negocia affectat, honeſta ſi poſſit, ſin minus qualiacumque, modo ſit ubi audaciam & ingenium oſtentet, & imaginem fortitudinis aliquam conſequatur fas nefas ſuſque deque habet, huc eum impellit natura, excitant exempla, confirmat uſus & multorum annorum licentia.

Si denuò in Galliâ bellandum erit & Condæus ut putatur cum magnis copijs adventabit, non de religione

ne non de loco , non cuius ſententia valere debeat aut apud Regem gratia præferatur,non quis Regnum procuret,ſed planè quis regnet certamen erit. Neque enim regni parte contenta erit Condæi factio ſi ſuperauerit; ſed totum volet. veniæ nullus locus,tentatâ ſępe fortunâ,fide ſępius violatâ,& poſtremò penitus ſublatâ, pudor omnis & reverentia Regij nominis longè abſceſſit: Tyrannus iam Rex appellatur, &c.

Quum Hugo Blotius Belga cuperet nauare operam Cæſ. M.ti V. nec melior offerretur conditio, eo deſcendit, ut ſe pręfici poſtularet Cæſ. M.tis V. Bibliothecæ. eâ de causâ petit à me ut ſe Cæſ. M.ti V.commendem. Equidem non ſum neſcius quam levis futura ſit commendatio mea,qui ipſe commendatione egeam,ſed tamen ſpero à Cæſ. M.te V. ſine offenſione acceptum iri. Ego Blotium novi non ſolum hominem doctum & litteratum,verum etjam integrum & probum. quamquam duo ſunt qui de moribus ejus exploratius teſtimonium ferre poterunt Epiſcopus Liſtius & Lazarus Schuendi.quorum uterque cum eum dignum habuerit cuius fidei liberos ſuos committeret (nam ijs inſtituendis aliquot annos in Italiâ pręfuit) ego eum talem judico cui ſuos libros Cæſ. M.tas V.rectè credere poſſit.Ac mihi quidem ſatis eſt hoc qualicumque teſtimonio homini digno non defuiſſe , & in eo commendando

qui

Digitized by Google

qui bonam operam Cæſ.M.ti V. nauare poſſit, debitum Cæſ.. M.ti V. officium prȩſtitiſſe. Quid ſ.: ex uſu ſuo Cȩſ. M.tas V. pro ſuo prudentiſſimo iudicio optimè ſtatuet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Mihi dixit Orator Hiſpanus venire huc à Rege ſuo Ducem de Medinâ de Rio Sicco, ut Regi huic nuptias congratuletur. venit etjam ut eodem officio fungatur Regis ſui nomine è Luſitaniâ Orator, quem credo amplius ſex menſibus in itinere hȩſiſſe, quamquam jam aliquot diebus ad urbem Armoricam Nanetes advenit. Rex hîc ex catharro febriculâ laborat, ſed ſine metu. increbruerat his diebus rumor captam à Duce Sabaudo Savonam, ſed non fuit adhibita fides. De Iorneton de quo litteris 11. Maij datis C. M.tas V. ſcribit fiet quemadmodum M.tas V. jubet.

Domina Memorançia olim magiſtri Equitum Franciæ uxor, fortunis omnibus tunc florentiſſima, ſed nunc propter caſum filiorum miſera atque afflicta ſummis precibus à Chriſtianiſſimâ Reginâ contendit ut litteræ ſibi à C. M.te V. per eam impetrentur ad Regem Chriſtianiſſimum in gratiam filij Mareſchalli Memorantij ut eum tandem è diuturnâ cuſtodiâ dimittat. de quo mihi Regina negocium dedit ut ſcriberem ad C.M.tem V. Quod ſanè feciſſem cunctantius ſi manerent etjam-

P num

Digitized by Google

num ſuſpiciones illæ atroces, quibus initio Memorantius premi videbatur. Sed cum veritas & res ipſa jta eas elevarit ut vix tenuis illarū umbra ſuperſit, dieſque omnium animos jta ad æquitatem reduxerit, ut nuper ipſamet Regina Senior contineri non potuerit quin Memorantium inviſeret, multumque temporis in ſami iari colloquio cum eo conſumeret, exiſtimavi nihil habiturum reprehenſionis ſi Chr.^{mæ} Reginę mandatis fuiſſem obſequutus, neque Cęſ. M.^{tem} V. quicquam facturam præter officij decorum ſi ad Regem ſcripſiſſet quæ ad Memorantij liberationem maximè pertinerent neque quemquam omnium puto fore qui id à C.M.^{te} V. factum non in optimam partem ſit interpretaturus. multa certè & magna ſunt illius præſtantiſſimę Matronæ ſummę humanitatis erga Reginam officia, toto tempore quo fuit in Galliâ numquam ab eâ pedem unū diſceſſit, neque ullâ in re operam aut conſiliū, aut fidem ſuam deſiderari paſſa eſt quę ſanè merentur ut eorū Cęſ. M.^{tas} V. benignè rationem habeat, & ſe memorem eſſe oſtendat. Quo facto cum pietatis ſuę Cęſ. M.^{tas} V. magnum fructum capiet, tum verò totam domum illā, quę nunc quidem jacet, ſed aliquando exurgat neceſſe eſt, maximo ſibi beneficio in ęternum devinciet. Lutetię VII. Iunij CIƆ. IƆ. LXXV.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

QVum nuper viſendi ſalutandique causâ ad Oratorem Regis Luſitaniæ acceſſiſſem, idem ſimiliter paucis poſt diebus ad me venit ut inviſeret: ex cuius ſermone etſi fortaſſe non maximi refert, viſum tamen eſt hæc ad Caeſ. M.tem V. ſcribere. Quum magnis laudibus Chriſtianiſſimam Reginam Caeſ. M.tis V. filiam affeciſſet, ad extremũ eo venit ut diceret magno cum dolore ferendum eam immaturâ morte mariti, tam juuenem viduam relictam. quumque reſpõderem ſuperis ita fuiſſe viſum, quorum arbitrio ſtandum & placita boni conſulenda eſſent, ille ſubjunxit non niſi ægrè magnoque negocio inventuram cui nuberet. etenim cum maximo potentiſſimoque Regi conjuncta fuiſſet, non facile parem repertum iri, cui ſecundis nuptijs jungeretur. Hîc cum dixiſſem ſæpius uſu veniſſe ut quæ Reginæ ſummis Regibus nupſiſſent, ijs fato defunctis, inferioribus atque etiam Ducibus aliquando locarentur. cujus rei exemplum citare poteram Mariam Henrici VII. Regis Angliæ ſororem, quæ à morte mariti Ludovici XII. Galliarum Regis, fratris autoritatem ſequuta, nupſiſſet in Angliâ Duci de Suthfolck. Atqui inquit niſi me ejus aſpectus fallit, non facile deſcendet

 illa

illa ad nuptias ſuperioribus inferiores. Tum ego, mihi quidem exploratiſſimum eſt à nullâ re tantopere abhorrere Reginam quam à ſecundis nuptijs, ut quæ vivâ mariti memoriam in animo etjamnum gerat, neque deponere eam poſſit. ſed tamen me non dubitare, quâ eſt prudentiâ, quin ſit ſemper futura in poteſtate parentum, eorumque conſilia & autoritatem rebus omnibus antelatura. Quod cum ille ſibi probari oſtendiſſet, eſſemuſque de varijs rebus poſtea collocuti, eo revertimus ut vetuſtam eſſe diceremus domus Luſitaniæ cum Auſtriacâ neceſſitudinem, jam ab ipſis Frederici Imperatoris temporibus, quem ſermonem ita clauſit ut ſe ſperare diceret eandem ſe etiam hodie conjunctionem neceſſitudinemque inter eas domos viſurum. Sed idem paulò ante hoc quoque dixerat ſe dolenter ferre quod Regina migraret è Galliâ longioreſque terras peteret. hoc quicquid eſſet nullam cauſam eſſe putavi quin C. M.ti V. ſignificarem. De reliquo Danvilla, quem hîc nuper retulerant inter mortuos, videtur revixiſſe, magiſque valuiſſe amicorum vota quam inimicorum, ſed in his locis novum non eſt habere leves auditiones pro rebus compertiſſimis, nec ullum ſibi ſpacium ad cognoſcendum relinquere. ægrotaſſe quidem eum graviter ſatis conſtat, nec ut quidam aſſerunt ſine ſuſpicione veneni. Cum Memorantio ad conſuetudinem reditum eſt leniuſque cum eo agi cœptum. Paucis diebus hîc expe-

ctantur

Digitized by Google

ctantur adverſariorum Regis delegati cum reſponſo de pace, quod quidem multi multis ſignis augurantur futurum commodum, mihi cujuſmodi futurum ſit valde dubium eſt, nec deinceps in tantâ rerum & rumorum varietate ulli rei quam non cernam oculis temere fidẽ adhibiturus ſum. Bellum interea geritur haud magno ut videtur progreſſu, quod quidem ad ſummam pertineat. loca atque oppida minuta indies recipiuntur amittunturque neque jamdiu quicquam memorabilius accidit quá quod ſuperioribus diebus Helvetij in Delphinatu non levem acceperunt cladem, deſideratis atque ad internecionem conciſis aliquot eorum cohortibus, Chriſtianiſſima Regina rectè valet, niſi quod paulò impatientius fert moram quæ ad ejus reditum interponitur, magnoque tenetur deſiderio viſendę filiæ, cui inopia rei nummarię refragatur, quæ tanta eſt ut jam in ejus domo deſitum ſit plures menſas ſterni quam unã, cui accumbit ipſa, reliquæ familię tantùm panis & vinum prębeatur, in his illa ſe conſolatur ut poteſt. Ego me &c. Lutetiæ VII. Iulij, CIↃ. IↃ. LXXV.

Si Regi Luſitaniæ hæ nuptiæ eſſent cordi, & Cæſ. M.[ti] V. eſſet in animo de eo ipſi gratificari, inſignis negligeretur occaſio, minimo cum ſumptu ipſam hinc in Luſitaniam traijciendi.

P 3 Video

Video iſtos negocium Polonicum nundum habere pro derelicto. Nam cc. coronatorum millia à Duce Sabaudiæ mutuò ſumpta illuc miſſuri dicuntur: pro quibus ei Marchionatum Salutzianum pignori opponunt. etjam Pybrachus aliquid profuturus exiſtimatur, ſingulis Palatinis, Regis nomine adeundis appellandiſque.

EPISTOLA XXIII.

SCripſi nuper quæ mecum locutus eſſet Orator Luſitanus, quæcunque ea eſſent; nunc nihil eſt quod magnopere adjungam, niſi quod paucis ab ijs litteris diebus invaletudinis metu Regina non caruit, ſuſpecta fuit febris, ejuſque aliquot anteceſſerunt indicia. ſed leves eæ dumtaxat fuerunt tentationes neque gravioris quicquam incommodi ſequutum eſt. A medicis cauſa morbi tribuebatur animi ægritudini, quodque animo laboraret. partim fortaſſe quod iter Amboſianum, cujus obeundi erat cupida, diutius produceretur, partim etjam fortaſſe quod in his locis hæreret diutius, à quibus longiſſimè abeſſe jamdiu animo anhelaret. Cui incommodo adventu proximi nuncij ſpero C. M.tem V. proviſuram. De reliquo idem hic eſt rerum ſtatus niſi quod paucis diebus Mumbrunus captus dicatur. Is cum nuper ut antea ſcripſi cohortes aliquot Helvetiorum conci-

Digitized by Google

concidiſſet, haud multis diebus poſt in auxilia Regis quę undique conveniebant incidit, hic dum acriter pugnat ſeque incautius permittit in hoſtem, eo progreſſus eſt unde redire non potuit, vulneribuſque aliquot affectus in Regiorum poteſtatem venit. Hic caſus magnæ hîc Lætitiæ fuit, quod Mumbrunus ex ijs qui contra Regem arma ferunt ferè obfirmatiſſimus ſit habitus. Nam cum ſtragem illam D. Bartholomęi die editam adverſariorum Regis, cæteri tantâ clade perculſi ſtuperent, hic princeps arma cœpit, reliquoſque ſuo exemplo excitavit unuſque illius cauſę acerrimus propugnator extitit. cujus rei ſi huc adductus erit (ut quidam putant) verendum eſt ne non optimam mercedem ferat, quare mors ei ex vulneribus quæ accepit optanda eſſet. in eo tamen pręlio quo captus eſt plures è regijs deſiderati dicuntur. Die Martis Marchio Nunnenius nuptias fecit quibus interfuerunt pater Vaudemontius & Dux Lotharingiæ ejus propinquus, varijs ludis magnoque apparatu celebratę ſunt. de principibus nemo convivio interfuit, ne Alenzonius quidem Regis frater, ad choreas tantum ſaltationeſque acceſſit, ſoror verò ne tum quidem. Illud verò animadvertendum cum Guiſiani in miniſtrando primas ſibi partes cuperent, occurriſſe Condæi defuncti filios, ſeque commodè inſinuando has quoque illis prępripuiſſe. hujuſmodi dignitatis certamen Gallis relictũ. Pacis negocium videri volunt in bonâ ſpe, ſed tamen

poſt

poſt captum Mumbrunum ajunt Regem juſſiſſe conſcribi novos equites mille, quo animo mihi incertum, tametſi illud mihi videatur certiſſimum, ſi qua pax fiat magis factum iri neceſſitate cogente quam voluntate Regis. Deus &c. Lutetiæ XVI. Iulij, cIↄ. Iↄ. LXXV.

EPISTOLA XXIV.

Redijt nuper ex Poloniâ quidam qui Regi confirmavit, (ut quidvis hîc affirmare licet) ſuâ operâ eo perductos Polonos ut abſente Rege Proregis imperium non recuſarent. Sed aliud litteræ Pybrachi nunciarunt, nimirum duas eſſe rationes Regni Polonici conſervandi, unam certam, incertam alteram; certam ſi Rex ipſe eò veniat, incertam ſi eò mittantur CC. Coronatorum millia, hanc poſteriorem periclitaturi videntur.

Orator Luſitanus ædes hîc conduxit, atque hîc aliquamdiu manſurus exiſtimatur, dimiſit de ſuis neſcio quem ad Regem, quem huc brevi cum reſponſo reverſurum dicunt, nec deſunt qui ſuſpicentur eſſe aliquid quod ad Chriſtianiſſimam Cæſ. M.tis V. filiam pertineat. Tabellarij reditus hîc efflagitatur, exactis penè ab ejus diſceſſu ſeptimanis ſex, nam iſti hoc negocio defungi, atque onere levari vellent.

Non

Digitized by Google

Non defuerunt qui putarent futurum è re Chriſtianiſſimæ Reginæ ſi negocia ejus alicui viro primario aut Principi tamquam Patrono & Protectori commendarentur, nominato ad eam rem Duce Nivernenſi, quem ſe ad id munus ultrò offerre intelligere mihi videor. Sed in eo id videtur eſſe incommodi, quod metuendum ſit ne hac ratione Reginæ ſenioris invidia ſubeatur. quę cujuſquam potius quam ſuę tutelæ Reginam commendari iniquo animo ferat. Itaque id niſi clam ab eo poſtulari poſſe non arbitror, ac nihilominus tamen vereor ne fieret palam. Etjam Comes de Retz Franciæ Mareſchallus operam in adjuvandis tuendiſque Reginæ negocijs officioſiſſimè detulit, eâque de causâ ad me domum venit. De me quid fieri velit Cæſ. M.ts V. clementer ſtatuere dignabitur, quamquam ſi me audiet, nihil ſtatuet potius, quam ut inutilem & ſenio cōfectum militem exautoratum dimittat: equidem neſcio an hic aliquem ad tempus manere eſſet inutile. nam mihi narrant qui ſuperiorum Reginarum res tractarũt, multa poſt earum deceſſum accidiſſe quę præſentiam & aſſiduitatem alicujus deſiderarent. Reginę quidem Leonoræ res varijs conflictata incommodis vix triennio poſt ejus diſceſſum conſiſtere & in ordinem reduci potuerunt. ſpero tamen nos exemplo & periculo alieno doctos, multis incommodis occurſuros, ſed tamẽ non omnia ita provideri poterunt apud gentem verſu-

Digitized by Google

tam & captioſam, quin multa ſæpe incidant, quę fidi alicujus miniſtri auxilium requirant. Habebit hic Chriſtianiſſima viros egregios, Cancellarium, Conſiliarios, Secretarios, Procuratores atque Advocatos rei & utilitatis ejus amantes, quibus ego multa rectè credi poſſe exiſtimo. Petivi aliquando à Cæſ. M.^te V. ut litteras huc mitteret credentiales, quas etjam miſit datas menſe ni fallor Februario, ſed eas nundum reddidi, quod magis ex re Chriſtianiſſimæ Reginę futurum exiſtimavi, ſi me negarem poteſtatem habere aliquid concludendi, quo iſti majorem rationem haberent, qualia offerrent, quæ ſi iniqua eſſent, facile cogitare poſſent, non iri acceptum à Cæſ. M.^te V. Eas litteras mutatâ tantummodo datâ denuò ſcribi non eſſet inutile, ſi forte ijs opus eſſet. Etjam Lugduno ſcripſeram Cæſ. M.^ti V. ne gravaretur huc aliquot horologia mittere, quibus hominibus benemeritis, quique bonam operam jam navaſſent, & in poſterum navare poſſent honos haberetur. idem nunc denuò humiliimè ſupplico Cæſ. M.^ti V. eâ fide atque officio impulſus quam ei debeo. difficilè eſt rem aliquã benè gerere deſtitutum ijs adminiculis, quæ ſunt ad id neceſſaria. Fuerat hîc nobis ſpes injecta obtinendorum initio x. millium Coronatorum, ſed ea nos fruſtrata eſt, neque iſtinc quicquam adfertur, itaque pecunię inopiã ſæpe offendimus. Quare eâ de re C. M.^tas V. cogitationem ſuſcipere dignabitur, nam hinc multę efferendę

pecu-

pecuniæ exigua ſpes eſt, ut verear ne & ad iter, & in itinere nos multa deficiant. Rex quidem & Regina mater, de eo à me interrogati, operam ſe daturos dixerunt ut Chriſtianiſſima Regina quam honorificentiſſimè ad Germaniæ confinia deduceretur. Erit viciſſim C. M.tis V. benignitatis, ut nos primo quoque tempore certiores facere dignetur quem in locum comitatu Gallico Chriſtianiſſimam Reginam deduci placeat. atque ita omnia ibi habere parata, ut filię honorem nequaquam à C. M.te V. neglectum Galli cognoſcant, & quæ eam comitabuntur illuſtres mulieres atque virgines partim officio partim benevolentiâ adductę ita accipiantur, ut ſibi honorem habitum referre & prędicare poſſint. Habuit jamdiu in animo Chriſtianiſſima Regina iter facere Amboſiam quo juſtiſſimo viſendę filiæ antequam è Galliâ diſcedat deſiderio ſatisfaciat, ſed eam pecunia remoratur, ubi ea fuerit expedita iter ingredietur, in quo eam xx. v. aut xxv. diebus abſuturam puto.

xxiii. menſis ſuperioris venit à C. M.te V. tabellarius qui mihi M.tis V. litteras reddidit, ex quibus ejus mandata benignamq́ue voluntatem cognovi. de electione alterutrius conditionis quam Rex detulerat. quâ re Chriſtianiſſimæ Reginæ demonſtratâ & ex ejus autoritate ad concilium relatâ, viſum eſt ſaniori parti ei conditioni adhærendum, quæ plus haberet & ſplendo-

Digitized by Google

ris & ſecuritatis exẽplo bonorũ patrumfamilias, qui ſtabiliores & certiores conditiones minus ſecuris licet copioſioribus præferunt. Nam revera in alterâ conditione nullâ cautione occurri poterat, quin benè magna pars varijs caſibus obnoxia eſſet, alienoq; arbitrio permitteretur, in quo etſi incivile videbatur in tali causâ contra Reginã peccare, tamen is eſt nunc rerum ſtatus in Galliâ, ut ferè neceſſitas honeſtatem vincat. Epiſcopus quidem Pariſienſis ſuam ſententiam defendere non deſtitit, ſed ut magis ſtudio quodam atque affectu quam verâ ratione niti videretur. Hac re conſtitutâ ad Regem Reginamque acceſſi, quibus Cæſ. M.tis V. nomine ſalutatis oblatiſque ejuſdem litteris dixi ſperaviſſe M.tem V. habitura fuiſſe locum pacta nuptialia eiſque plenè ſatisfactum iri, ſed cum & ex Vilcobo præſente, & ex meis litteris intellexiſſet iſtius Regni labores atque incommoda noluiſſe magnopere de eâ re contendere, atque ad eas conditiones quas Rex deferebat haud gravatim acceſſiſſe, cum eâ tamen ſpe atque fiduciâ, eum tam cumulatè quę promitteret impleturum ut aliquâ ex parte Reginæ detrimentum ſarciretur, autorem verò fuiſſe Chriſtianiſſimę Reginæ M.tem V. ut eam potius conditionem acciperet in quâ eſſet plus dominij ut quæ propius accęderet ad ſententiam contractus matrimonialis, idque feciſſe Reginam. Ambo liberaliſſimè reſponderunt. Inter reliqua cum Rex ſuam voluntatem

erga

Digitized by Google

erga M.tem V. prædicaret commemoravit ſe vel ex eo ſtudium & planè paternum animum M.tis V. erga ſe cognoviſſe quod ei ſuaſiſſet cum eſſet Viennæ quę maximè è re atque uſu ejus eſſe judicaſſet, nimirum ut ſe potius ad lenitatem daret, pacemque complecteretur quam rationem contrariam, eo ſe animo fuiſſe, ſed non licere Regibus omnia pro ſuo arbitrio gerere. Quod attineret ad diſceſſum Reginæ ita de ſe C. M.tem V. ita de totâ Galliâ Reginam meritam, ut omnia ejus causâ & deberet & vellet. Itaque non modò Nanceium ſed multò longius & quocunque M.tas V. vellet deducendam curaturum fuiſſe: ſed quãdo potiſſimùm M.tas V. Nanceium deſignaſſet, daturum operam ut eò ad diem dictam quam honorificentiſſimè deduceretur. De Memorantio ita reſpondit, illum ſe obtuliſſe judicio probaturum ſuam innocentiam, quemadmodum & ipſe cuperet & ſperaret, ſed ſi ſecus reperiretur, cogi ſe eam ſequi rationem quę conſervationi ſtatus atque regni maximè conſentanea eſſet. quemadmodum etjam putaret facturam Cæſ. M.tem V. ſi eo loco eſſet. Cæteroqui C. M.tis V. causà libenter facturum quicquid poſſet. Poſtremo poſtulavi ut receptâ conſuetudine arbitri conſtituerentur, qui earum provinciarum quas Chriſtianiſſimæ Reginæ aſſignabat dominium ęſtimarent; facturum ſe dixit, ſed quando ipſe harum rerum eſſet ignarus vel libello complecterer quid vellem, vel ipſe

cum

cum Cancellario ſuiſque Conſiliarijs agerem. Ita ab Rege diſceſſi. Auditus ſum à Cancellario valde ex ſententiâ, illo multa de M.tis V. erga ſe humanitate cum Viennam ad eum acceſſiſſet prædicante, & egregiam erga Reginam voluntatem profitente, tamen valde mirari ſe oſtendebat cur hanc potius conditionem quam alteram elegiſſemus. Idem etjam fecit Morvillerius. quod quidem totam hanc rem mihi magis ſuſpectam fecit, eſſe aliquid in eâ conditione in quo magis Regis commodum quam noſtrum quæreretur. Nā hactenus ita eos affectos vidi, ut penè ſordidè ne in re quidem minimâ quicquam Reginæ indulgere vellent aut Regi incommodare. Quod ad Regni iſtius ſtatum pertinet, idem eſt ferè qui fuit cum poſtremas ad Cæſ. M.tem V. litteras dedi. Rex adumbratum quoddam comitiorum genus, his diebus inſtituit. convocavit ex ſingulis provincijs civitatibuſque nominatim certos homines quos ſibi cauſæque ſuę æquiſſimos fore ſperavit, duos ex ordine Eccleſiaſtico, duos è nobilitate, & totidem è numero civium, quibus coactis ſpeciem quandam comitiorum habuit. In ijs commemoratis regni miſerijs expoſitâque ęrarij tenuitate, rogare cœpit ut eorum ſubſidio ſublevaretur. Quum ordo Eccleſiaſticus atque nobilitas ſatis commodè reſpondiſſet, qui erant ex ordine populari dixerunt ſe ad ſuos renunciaturos ac deinde re deliberatâ de communi ſen-

tentiâ

tentiâ reſponſum relaturos;neque enim in præſens aliâ de cauſâ evocatos quam ut Regis voluntatem cognoſcerent.hoc reſponſum cum Regi minus ſatisfaceret eò tandem perducti ſunt , ut ſe tantum in ſingula capita daturos pollicerentur quantum quiſque quotidie in victum inſumeret, quæ in tanto regno haud contemnenda ſumma fore putatur.Cum eâ tamen conditione, ſi reliqui cives ratum habuiſſent. Eorum omnium qui ijs conventibus interfuerunt orationes eò potiſſimùm ſpectarunt,ut Regi fidem facere conarentur Regni incolumitatem ſine pace diutius ſtare non poſſe. Quod verò ad ipſam pacem attinet in negocio tam perplexo atque ancipiti difficile eſt providere quid ſit futurum. Calamitoſiſſimus quidem Reipub. ſtatus,vota populi, rei pecuniariæ inopia,cupiditas rerum novarum,ad pacem hortantur. contra gravitas conditionum quæ ab adverſarijs Regi proponuntur odia inveterata partium, perfidiæ ſuſpicio,diminutio Regię Majeſtatis atque etjam autoritatis eorum qui nunc dominantur,vehemēter paci refragantur:ut utra pars alteri præponderatura ſit,niſi ex eventu, facile ſtatui non poſſit.Bellum continenter geritur,ſęvius etjam quam antea Nam Rex nuper in Linguadoccâ ſive Galliâ Narbonenſi frumenta omnia quocunque adiri poterat,incendio corrumpenda curavit , in quo non minus acceperunt detrimenti qui ſunt ei fideles quam hoſtes.Rex item novum equi-

tem

tē conſcripſiſſe dicitur & Cōdæus cū copijs adventare. Cuius factionis homines, multas ſuperioribus diebus urbes ex inſidijs tentarunt, ſi intercipere poſſent, in quibus fuerunt, Pictavium, Compendium, Ambianum, Veſuntio, quæ quidem hîc omnia in argumentum pacis trahuntur, nam cum convenecerit ut quod quiſque poſſideat eo tempore quo pax conficietur, id porrò teneat, hac de causâ ijs urbibus inſidiatos rebelles dicunt. Item tametſi Regi & Condęo pax maximè cordi ſit, tamen neutrum putant niſi omnibus rebus ad bellum paratiſſimum, de pacis conditionibus acturum, mihi quid iſta valeant, non tam certum eſt, quam illud videtur valde probabile, ſi iſtis inter ſe pax erit, bellum futurum cum vicinis, quo omnis illa ocij inimica iuventus derivetur, regnique ſentina exhauriatur. Quam ad rem Genua videtur magnam præbere opportunitatem, neſcio an & Belgium: jam certè voces quorundam Principum audiuntur, Genuæ ſe (ſi Rex permittat) cum DC. nobilibus auxilio ituros. Fregoſiorum Biragorumque in Italiam itiones reditioneſque, crebrioraque ſolito Legati Pontificij cum Rege colloquia, multis ſuſpicionem movent aliquid novi cudi. Commiſſarij adverſæ Regi factionis, qui cum reſponſo de pace expectabantur, nonnulli iam redierunt reliqui in itinere eſſe & adventare dicūtur, atque inter eos etjam Beaveſius de la Nocle, qui à Condęo remittitur, quod ſi ita eſt de exitu hu-

jus

jus negocij brevi certum ſcietur. De rebus Belgicis non dubito quin M.tas V. omnia norit, ut nihil illa ad curam meam pertinere debeant, hæc tamen commemoraſſe nihil oberit. Poſt captam Buram ultro citròque diſceſſiſſe qui conficiendæ pacis cauſâ venerant, nullâ re, ac ne inducijs quidem confectis. Spem Regijs injectam eſſe belli per vim atque arma finiendi, eâ de cauſâ bellũ terrâ proſequi, & mari claſſem denuò parare. Ad celeritatem autem perficiẽdi negocij magnopere videri pertinere genus quoddam parvarum triremium, quibus vento atque æſtu adverſis navigatur. His Mondragonius milites ſuos trajecit in quaſdam inſulas, alias ſubinde occupaturus, ut hac ratione Zelandiam ab Hollandiâ dividat, ne ſibi invicem mutuis auxilijs ſubſidio ſint. Sed ut omnia cadant optimè, hoc negocium eſt lentũ, & multa intervenire poſſunt (ut ſunt res humanę) quæ mutationem adferant & novam curam injiciant. Illud quidem haud diſſimulanter Aurengium profeſſum eſſe conſtat, ubi ſe inferiorem viderit ut veniendum ſit ad extrema, pacturum ſe cum aliquo, Anglo fortaſſe vel Gallo, eique ſuam provinciam quam teneat traditurũ. Sed ſunt nonnulli qui rebus pręſentibus adeò confidãt, ut futurorum nullam rationem ducant. Nudiuſquartus huc quidam à Gubernatore Belgij veniſſe dicitur poſtulatum à Duce Lotharingię ut iter daret per ſuam ditionem neſcio quot Hiſpanorum atque Italorum mili-

R libus

libus quos Rex mittebat in Belgium, id ſi ita eſt nundũ eſt malorum finis. Rex iſte cum naturâ tum curis & triſtitiâ temporum ad animi ægritudinem proclivior allevationem atque oblectamenta quęrens, ſodalitatem quandam inſtituit in quam qui ſunt aſcripti per orbem viciſſim Regi totique aulæ convivium parant, ubi hilariter multâque cum feſtivitate vivitur, choreæque ducuntur, quę res multitudinis ſermonem non effugit, calumniantis in tantis calamitatibus regniq; miſerijs Regem epulis laxare animum, tamquam illa parùm ad eũ pertineant, aut ſatis in commune conſultum ſit. Altero die poſt redditas Regi Cæſ. M.^{tis} V. litteras Vaudemontius Mommorançium inviſit, multumque eſt cum eo colloquutus, atque ita ab eo diſceſſit, ut diceret minimè ſibi videri ambiguam ejus innocentiam, neque dubitaturum (ſi res poſceret) ſe vadem pro eo conſtituere. Deinde multis narravit ſermonem quem ſecum habuiſſet, quo ſe omni criminis atque culpæ ſuſpicione liberabat. quem ſermonem longum eſſet referre & non neceſſarium. Vulgò hîc circumfertur adductum Reginæ caritate commune Pariſienſe decreviſſe illi offerre in ſumptum, quod eſſet quotannis ei ejuſque familiæ alendę ſatis, modò hîc manere vellet. ſed eò impeditum quod vereretur ne ubi Rex reſciſceret, atque ipſa recuſaret, eam ſummam exigeret ipſe, in ſuoſque uſus converteret. omnes certè audire eſt multa mala regno Galliæ

Reginę

Reginæ deceſſu augurantes. Magnum ad pacem Gallicam calcar additurum videtur negocium Polonicum, quod iſti obtinere poſſe deſperant niſi confectâ pace. neque enim perſuaderi poſſe Polonis ut ab ijs aliquid ſperent, qui tantum ipſi habeant negociorũ domi, quod ſi pax fiat, fieri eis fidem poſſe pecuniæ ſatis ſuppeditatum iri, eoque rediturum aliquando Regem. Gallorum eſt cum aliorum ruinâ atque interitu ſuis affectibus inſervire, ſic ferè omnes quibus illi manum admoverunt aut graviſſimum adierunt diſcrimen, aut certum ſubierunt exitium, quam fortunam verendum eſt ne experiantur Poloni & Genuenſes. Deus, &c. Lutetiæ.... Iulij, cIↄ. Iↄ. Lxxv.

EPISTOLA XXV.

De pecuniâ quam in uſum Chriſtianiſſimæ Reginæ ſæpius jam efflagitavi, nihilo magis nunc proviſum eſt quam ante, neque C. M.[tis] V. Cameræ mandata noviſſimè Auguſtam data, plus profecerunt quam ſuperiores litteræ. Ac non modo bis (quod dici ſolet) ſed ter & quater ad eundem. Interea plurimis in rebus præſentis pecuniæ Regina indiget, neque rationem inire poſſumus, quomodo res neceſſarias explicemus ſine pecuniâ, aut quomodo pecuniam repe-

riamus ſine offenſione exiſtimationis, ita in magnis verſamur difficultatibus. Mitto ad Cæſ. M.tem V. cathalogum quarundam fœminarum quibus pręter reliquas in diſceſſu dari munera opportebit, neque enim ſalvâ ęxiſtimatione fieri aliter poteſt. At ea tamen (quod capita multa ſunt) haud exiguam ſummam conficiunt. Præterea cum nullum obulum hinc ſecum exportatura ſit Regina, neceſſária erit in ſumptus itineris Nanceio Ratisbonam uſque pecunia, & quidem præſens ac numerata. Id quantopere cùm ad Chriſtianiſſimę Reginæ tum ad C.M.tis V. honorem pertineat non puto M.tem V. expectare dum ſcribam. De horologijs de quibus nullum reſponſum accepi, denuò humilimè ſupplicò Cæſ. M.ti V. Si nihil ſit quo honos habeatur hominibus benè meritis, multum decedet de utilitate operę eorum quòs ſibi hîç M.tas V ſervire volet. atque officiũ valde cogetur in anguſtum. nam cum eveniant quotidie in quibus bonam operam navare ſine auxiliò fideliũ & benevolorum hominum quis nequeat, certum eſt & ad conciliandos & ad retinendos amicos hujuſcemodi munuſculis plurimùm profici. eâ de causâ recti conſilij conſcientiâ fretus non vereor denuò C.M.ti V. ſupplicare ut tria aut quatuor quam elegantiſſima horologia huc mittere ne gravetur. Quod me Cæſ. M.tas V. diutius hîc manere jubet (etſi tempus erat languentia ſolvere colla) intelligo pro eâ quam M.ti V. debeo obedien-

obedientiâ, mihi eſſe humilimè parendum, ſed tamen ſignificatum velim Cæſ. M.ti V. expenſas quas facio cū alijs de cauſis, tum quinque pene intra finem vertentis anni peractis itineribus ſumptus ordinarios mihi decretos longè exceſſuras. Accepi à Domino Morvillerio DC. coronatos, eâ conditione ut iſtîc Vilcobo reddantur, id ut Cæſ. M.tas V. jubere ne gravetur, utque ad rationem annuorum ſumptuum mihi decretorum computentur, humilimè oro.

Benè eſt quod non prorſus à fortunâ Chriſtianiſſima Regina deſeritur, nec defuturi ſint Cæſ. M.ti V. generi. Etjam Dux Ericus Brunſvicenſis huc hominem miſit cum litteris credentialibus (ut vocant) Doctorem Ioachimum Gotzen, per quem legitimi thori ſui partē vitæque ſocietatem Reginæ deferret. Ducatum item Brunſvicenſem, quâ ex parte eius eſt, & C. millia Coronatorum quæ habet in Galliâ, ita ut ſi ſine liberis diſcederet & ditio & reliqua ad domum Auſtriacam acceſſio fierent. Is Doctor cum inſinuatione uteretur & tectiùs rem ſibi commiſſam proponeret, magis ſuſpicata eſt Regina quid vellet quam intellexit. Quumque inſtaret ut ſibi Reſponſum à Reginâ daretur, illa rejecit eum ad me. ea itaque omnia idem mihi dixit quę propoſuerat Reginæ, poſtulans ut ſibi à Reginâ reſponſum impetrarem. ei ego dixi Reginam à morte mariti ita

affectam ut nihil ferret ægrius quam ut de ſecundis nuptijs compellaretur, eoque animo eſſe erga omnes, eâ de causâ non eſſe quod ab eâ reſponſum ſperaret. Ducem ſi quid vellet poſſe ſcribere ad M.tem V. in cujus poteſtatem morte mariti recidiſſet, inde reſponſum habiturum, hęc quam potui maximâ comitate cum eo agens, feci ut hoc reſponſo contentus ad Dominum rediret. Tantum me rogavit ut hæc res ſecreta inter nos maneret, neque emanaret ad alios: ita facturum me recepi, ſed & illud poſtulanti promiſi ſi quando in Ducem ipſum inciderem, ei teſtimonium darem mandati diligenter & probè confecti. litteræ datę erant Aquiſgrano, cum hac ſubſcriptione chirographi, ut opinor ipſius Ducis: De V. R. Mag.d. muy fiel y leal ſervidor haſta à la muerte, qui ſus reales manos beſa mas de cien mil vezes, El Duque Erico de Brunſvvicque y Lunenburg.

Non videtur domus iſta regia ſecretioribus vacare curis, ſi res ut cœperunt ire, perrexerint: vt verendum ſit ne haud plus ſit ocij & ſecuritatis intra palatij parietes, quam eſt in reliquâ Galliâ. Creſcunt indies diſcordię inter optimates, etjam inter eos quos natura neceſſitudoque conjunctiſſimos eſſe voluit. Alençonius nihil fert moleſtius quam ocium, rerum novarum cauſam quærit, neque finem facturus videtur niſi cum inſigni aliquâ

aliquâ mutatione,quinimo regnandi cupiditate teneri eum nonnulli ſuſpicantur,quem Regina ſenior magno labore in officio continet. cæteroquin in eum jndulgentior,& quem rebus omnibus augeri ſtudeat, fortaſſis ut ejus pręſidio adverſus fratris potentiam tuta ſit, ſi quando eam minus reſpicere cœperit. Eidem Alençonio non bene convenit cum Duce Guiſio,& fautor habetur Hugonottorum & cum ijs clam conſilia communicare;adeò ut non ſine conſcientiâ ejus,tentata nuper pleraque oppida putentur, quę res aliquot ejus familiaribus exitio fuit. Sororem habet conſiliorum omnium conſciam,adverſariam Regi & Reginæ novę, ſed nec cum Duce Vendomio ejus marito magna ei gratia ob quaſdam ſiniſtras ſuſpiciones. Lutetię.... Iulij cIↃ. IↃ. LXXV.

EPISTOLA XXVI.

Die decimo octavo hujus menſis Chriſtianiſſima Regina ingreſſa eſt iter Amboſiam verſus. diſcedentem Lutetiâ Rex uſque ad urbis portas proſequutus eſt, Frater, Vendoſmius, & Guiſius aliquanto etjam longius. Lotharingius cum Cardinali Eſtenſi, Duce Maynæo, Duce d'Aumale & Marchione Numenio uſque ad eum pagum ubi prandium ſumpſit. Eo in loco

eo cum pranderem apud præfatos Ducem Lotharingię & Cardinalem Eſtenſem, uterque multa de ſuâ in Cæſ. M.tem V. voluntate prolixè commemoravit, quamque ſibi honorificum exiſtimarent, hic, quod ei itineris comes eſſet futurus; ille, quod eam eſſet hoſpitio accepturus. qui quidem Dux Lotharingiæ, intra dies quatuor ſe domum rediturum dicebat ut res neceſſarias in Reginæ adventum præpararet, tum etjam quod metueret ne quid ſe abſente turbaretur domi: Nam conſtans erat totâ Lutetiâ rumor adventare MM. Equitum Germanorum, eaque habere iter ſine juſtis impedimentis per Burgundiam & Helvetios ut ſe cum Damvillâ conjungerent, quos Equites plures erant ſubſequuturi. Nam conducta v i i. M. Hęc vulgò jactabantur, neque à Rege ipſo negligi videbantur: ut qui nihil omitteret quod ad belli apparatum attineret. XXIV. ejuſdem menſis venimus Amboſiam, ubi Cęſ. M.tis V. neptem vidi, nundum totos tres annos natá, puellam tolerabili forma, ſimiliorem tamen patri quam matri, ingenio valde feſtivo & hilari. Regina circiter diem VIII. Septembris ſe Lutetiam reducem futuram ſperat, ut inde quamprimum poſſit Nanceium proficiſcatur. Nollem eam ultra octavum aut x. diem hærere Lutetiæ; ſed hoc optare & urgere poſſum, præſtare non poſſum quod ſit in alienâ poteſtate, Amboſiæ XXV. Auguſti, cIↃ. IↃ. LXXV.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVII.

QVod ad iſtius Regni res attinet pauca ſunt in præſens quæ ſcribam. Fama adventus Equitum Germanorum iſtos neceſſariò ad arma concurrere coegit, ſpe tamen pacis nequicquam depoſitâ. quā quidem pacem æquiore conditione ſumptis armis ſe confecturos ſperare videntur. Itaque Rex Guiſium pręterito fratre (ad quem recepto more ea provincia pertinebat) ſibi legavit, ſummæque exercitus ſui præfecit, is nunc in finibus Lingonum copias cogit, ſed nec valdè frequentes, nec fidei ſatis exploratæ, & in quibus multi eſſe putentur qui vinci malint quam vincere. Quum his belli initijs ſuſtinendis pecunia deeſſet, conficiendæ hæc inita eſt ratio. Rex ab aulę Principibus viriſque primarijs Regni Gallię mutuò ſumpſit pro modo cujuſque facultatum aut dignitate. Itaque Cancellarius in medium contulit IV. Francor. millia. Lanſaccus, Morvillerius, & plerique alij, ſinguli III. Francor. millia: Conneſtabili id eſt Ducisſę Momorançij impoſita ſunt VI. millia, id eſt duo millia Coronatorum. ita ad centum millia Coronatorum confecta dicuntur, eò anguſtiarum deventum eſt in Galliâ. Oppida complura rebellium inſidijs tentata. Turones & Carnutes atque a-

Digitized by Google

lia complura,in quibus ferè omnibus Alenzonij nomē uſurpatum. Deputati ſive Commiſſarij rebellium etjamnum expectantur pacis conficiendę causâ. Bemus Germanus ille cujus manu interfectus eſt Admirallius ex Hiſpaniâ rediens incidit in adverſariorum manus, magnoque verſatur in diſcrimine, ſed Guiſius omnem lapidem movet quo eum liberet. Monbrunus etſi erat ex vulnere periturus, tamen viſum eſt prævenire eam mortem eumque capite truncare Granopoli. Quum ſuſpecta eſſent Oratoris Anglici cum quibuſdam & maximè cum Alenzonio clandeſtina conſilia, petijt Rex ab omnibus Oratoribus, qui in hujus urbis ſuburbijs habitabant, ut ſe in urbem reciperent,quod ibi futuri eſſent tutiores. Regina nova laborat aurigine, ſed jam paucis diebus convaleſcere cœpit.De reliquo multa hîc quotidie audacter & nequiter fiunt. pari armorum & amorum licentiâ. varię cœdes perpetrantur,nec in ipſius Regis veſtibulo rixis contentionibuſque abſtinetur,penèque in Regis oculis venitur ad manus;neque harum rerum ullâ habetur ratio, tamquam iſta parùm ad Regem pertineant. Quum hæc ſcripſiſſem primis à tabellarij adventu diebus, quod illum celeriter me poſſe remittere ſperarem, accidit res majoris momenti,dignaque Cæſ. M.tis V. ſcientiâ. Namque Alenzonius Regis frater, rerum novarum cupidus & qui jam dudū exulceratum animum atque à ſtudio fratris averſum

habebat,

habebat, fugam quam diu meditatus erat ſic exequutus eſt. Die Septemb. xv. ſub veſperum ſimulavit ſe ad mulieres quaſdam ire, cujus rei jam conſuetudinem fecerat quo facilius falleret, cumque eò delatus eſſet curru, adjunctis duobus tantum comitibus, alterum remiſit in Regiam ut videret quid Rex quidque Regina mater rerum agerent, ſibique renunciaret, cum altero ædes ingreſſus, earundemque poſtico mox egreſſus, currum alterum quem eâ de causâ ibi habebat aſcendit, eoque ad vicinum locum delatus eſt, ubi eum parati equi comiteſque præſtolabantur, ad hos ſe alij atque alij deinceps aggregarunt, ut priuſquam ad oppidum Dreux perveniret, quo diem & noctem continuato itinere contendit, ferè ad ducentos habuiſſe credatur. Dreux Comitatus eſt, ejus ditionis, Normandiæ finitimus, quo tamē vi atque jnopinato adventu magis receptus eſt quam gratiâ. Cæterùm qui fuerat ab eo in Regiam remiſſus, poſtquam ad eam domum reverſus eſt ubi eum reliquerat, neque eum offendit, rem ad Regem detulit, qui quidem initio ſperare eum reverſurum ut fecerat alias, quo hac conſuetudine introductâ facilius falleret. Sed cum diutius emaneret res primo ſuſpecta, deinde certa eſſe cœpit eum fugæ conſilium cœpiſſe: itaque miſſi complures qui eum retraherent, ſed fruſtrà, illo iam aliquot horis ſummâ celeritate prægreſſo. Periculum etjam nonnullos ne progrederentur longius, deterrere

 potuit

Digitized by Google

potuit, inuento uno de ſatellitibus Regijs, cui ejus regionis excubiæ obtigerant interfecto, quod ſcire voluiſſet de Alenzonio quis eſſet, aut quo teneret iter. Cujus comitis idem futurum fuerat fatum (nam duo erant) niſi equo ejus ictu ſclopeti interfecto ſimulatione mortis mortem vitaſſet. Horum docti caſu qui ſequebantur, facile deſtiterunt, præſertim cum illum benè comitatū abire intelligerent, ipſi verò ferè ſinguli (ut fit in re ſubitâ atque improvisâ) ſequerentur. Hæc Alenzonij fuga ſive diſceſſus, Regem Reginamque ſeniorem mirè contriſtavit, providentes quantam ea res ad reliqua mala Galliæ acceſſionem factura eſſet. Poſtridie Rex Nivernenſem cum aliquot Equitum turmis in eam partem proficiſci iuſſit quo fratrem abjiſſe cognoverat ut ejus regionis oppida in officio contineret, ſeque ad omnes conatus opponeret, is in civitate Carnutum conſedit maximè ut veroſimile eſt) ut Alenzonium Ligeri atque eorum locorum quę trans Ligerim ſunt adjtu prohiberet. nam illum eò regredi neceſſe erat, ſi vellet cum ſuę factionis hominibus coniungi. Paucis poſt diebus inſequuta eſt Regina mater, omnia expertura ſi poſſet eum ad ſanitatem reducere, antequam penitus factioſorum hominum contagione inficeretur depravareturque, ſed ea ut voluit ad eum admiſſa non eſt. quinimo cum ille inſidias ſibi ſtrui ſuſpicaretur, eſſentque ejus rei nonnulla, ut ipſe putabat, indicia; facto circuitu

cuitu

cuitu cum ſuis iter Ligerim verſus habere cœpit, ut dũ vado tranſiri poſſet, propter hujus anni ſiccitates, eo tranſmiſſo tutior eſſet, ſeque facilius cum Regis adverſarijs conjungeret. Sequuta eſt eum Regina ut mater, & Nivernenſis ut hoſtis, ut ſi qua facultas daretur eum remorandi aut committendi prælij eâ uteretur, cujuſmodi viſa eſt ſe offerre in tranſitu Ligeris, niſi Regina prohibuiſſet. Nam ea quidem quàm diutiſſimè omnia integra reſervari, nequedum ullo ſanguine bellum imbui voluit, ne pacis nullus locus relinqueretur. Demum ubi ille tranſgreſſus eſt flumen, matri colloquendi poteſtatem fecit, quæ luculentâ oratione eum dehortata dicitur ne Galliam iam perditam ſuâ ſeceſſione magis perderet, neve ex uno regno cujus ſucceſſio ad eum pertineret, duo regna facere vellet. Cujus quidem colloquij is fuit exitus ut dierum aliquot inducię ſtatuerentur, quibus acceſſitis undique deputatis quos vocant, de pace ageretur. Interea Memorancium carcere emitti placuit, ſuâ tamen fide obſtrictum ne ſine conſenſu Regis hinc abiret. Poſtulaſſe jtem dicunt Alenzonium ut quidam homines præcipuæ autoritatis ex aulâ removerẽtur, inter quos numerant Cancellarium atque alios quoſdam Regis conſiliarios, quos Alenzonius in ſe ſuoſque inimico animo fuiſſe putat. Ad hæc autem conſilia maximè putatur deſcendiſſe ut ſe vendicaret à contemptu, atque è cuſtodiâ eriperet, quâ aſſervabatur.

Digitized by Google

Quippe meminerat fratrem cum eſſet eo loco ſummâ apud omnes fuiſſe autoritate & gratiâ, habuiſſe alimentorum nomine florentiſſimas provincias, & ampliſſimos proventus. Sibi contra attributa alimenta exigua, nullam autoritatem, imo vix libertatem relictam. Regem Carolum, fratrem qui nunc regnaret ſibi legaſſe; ſummamque belli rerumque omnium ei permiſiſſe: at ſibi Guiſium in eo genere prælatum. Ad hæc eum impulit etjam juventus novarum rerum cupida, animuſque rei gerendę & glorię appetens. quę deinceps ex his tantis initjis conſequentur dies declarabit. Sunt qui putent niſi Alenzonius ſuâ fugâ Regis conſilium anteverliſſet, Regi fuiſſe decretum, poſtero die in arctiorem cuſtodiam eum includere, quod de incœptis ejus multorum litteris fieret certior.

Die hujus menſis x. huc allatum fuit de profligatis à Guiſio Equitibus Germanis. Nam dum illi in Bituriges contendunt, ut ſe cum Alenzonio conjungant, conſequutus eos Guiſius in trajectu Matronæ fluminis, partem eam quę jam tranſierat diſſipavit, cœſo Duce Aſſenſtenio captoque Clervantio, quo caſu territi qui nōdum tranſierant, de deditione agere cœperunt, conſultuſque Rex, in fidem accipiendos conſervandoſq; cenſuit, hac lege tamen ne intra annum contra ſe arma ferrent. Equi, enſes, thoraces ac reliqua omnia eis relicta, ſigna

Digitized by Google

ſigna modò & ſclopeti adempti, præſidiumque attributum, quo extra Galliæ fines deducerentur. Thoræus Conneſtabilis filius & multi præterea Galli ad cc. qui Germanis aderant, de mediâ nocte flumen tranſierant, itaque incolumes evaſerunt. Hos Germani accuſant tamquam ſe deſeruerint, illi contra Germanos repræhendunt, quod cum ſalus in celeritate poſita eſſet, impetrari ab eis non potuerit ut impedimenta relinquerent, quo ad iter eſſent expeditiores, quibus quidem impedimentis conſervandis dum plus æquo ſtudent, & impedimenta & reliqua omnia amiſerint. Ajunt Guiſio dum eos ſequitur ſępius datam occaſionem ea quę dico impedimenta diripiendi, ſed periti cujuſdam Ducis admonitu deterritum, quod diceret impedimenta Germanorum iter tandatura, futuraque poſtremò in causâ ut dum ea conſervare ſtudent, ad iniquam pugnandi conditionem deducerentur: ut ut ſit illi fuerunt profligati, majore ut puto dedecore quam damno, quâ victoriâ iſti magnopere exultant & triumphant. De Gallis qui ſe celeritate eripuerunt, incertum quid futurum ſit, nam non deſunt qui perſequantur. Nec tamen ipſe Guiſius ex hoc certamine immunis pedem retulit, gravi vulnere ictu ſclopeti in maxillâ accepto, ex quo incertum ferunt, initio an convaleſceret. adeò ut ipſe Rex ejus amantiſſimus, multis lachrymis eum defleverit, nunc tamen victurus putatur. Pridie quam de hoc prelio nunciatum

ciatum eſt Rex Memorangium in priſtinum libertatis atque autoritatis gradum plenè reſtituit. Itaque ille ad arcaniora conſilia admittitur ut conſueverat, primumque à Rege (abſente Alenzonio reliquiſque Regis conſanguineis) dignitatis atque honoris locum obtinet. Iturum eum his diebus una cum Coſſæo ad Reginam ſeniorem ut ſe pacis arbitrum præbeat opinantur. Cujus quidem pacis conciliandę causâ, craſtinâ die ad matrem rediturum in oppidum Blois Alenzonium arbitrantur. ſed mihi tota res ſuſpecta eſt, ac ſi maximè redeat, vix quicquam conventurum puto. Sed ſi convenerit, illud mihi minimè dubium eſt, quin mox aut in Italiâ aut in Belgio bellum Alenzonij auſpicijs ac fortaſſis etjam ductu ſuſcitetur. etenim multæ ſunt cauſæ ut ita fieri propemodum neceſſe ſit. Hodie hîc nunciatum eſt Thoræum una cum ſuis, qui ſe ei objecerant pulſis, ad Ligerim perveniſſe, qui etjam ad cccc. Equites habere dicitur, inter quos multi ſunt Germani, quem quidem an traijcere poterit incertum eſt, nam multi undique convenerunt, ut eum opprimerent. Trans Ligerim ajunt expectari eum à MM. Equitum Alenzonij cum aliquo peditatu, Deus &c. Luteti̧ XIV. Octobris CIↃ. IↃ. LXXV.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA XXVIII.

QVo die Amboſiâ Chriſtianiſſima Regina Lutetiam redijt, eodem venit à C. M.te V. tabellarius, qui mihi litteras & mandata Cæſ. M.tis V. reddidit. is fuit Septembris XII. Quum poſtero die aditum peterem ad Regem dilatus ſum in diem ſequentem. quo die ſalutatis Rege Reginâque matre C. M.tis V. nomine, expoſui quę ab eâ poſtularentur, nimirum ut conſtituta Reginę diſceſſus dies ſervaretur. Rex omnem operam, ut ita fieret ſe daturum dixit. Quum verò magni referre, certum ſciri reſponſum reſpondiſſem, ut de eo denuò certior fieri Cæſ. M.tas V. poſſet, ne ludibrio haberentur ij qui M.tis V. mandato Nanceium conventuri eſſent, Rex æquum eſſe dixit, & ad conſiliũ ſe relaturum mihique poſtridie certum daturum reſpõſum. ita hic dies & ſequens abijt, qui fuit ejus menſis XV. quo die veſperi fugâ ſe ſubduxit Alenzonius, idem ferè reſponſum habui à Reginâ matre, niſi quod illa expreſſius de ſumptibus itineris quædam adjecit, non poſſe integram ſummam, quæ ad Chriſtianiſſimę Reginæ iter requirebatur, in numeratâ pecuniâ repræſentari, ſed ad res maximè neceſſarias erogatum iri pecuniam, ad cætera quæ dilationem paterentur utiles ac bonas aſſi-

 gnatio-

Digitized by Google

gnationes ut vocant datum iri. Non erat iniqua conditio Chriſtianiſſimæque Reginæ res ad hoc tempus bono loco atque in tuto eſſe videbatur, ſed intervertit Diſceſſus Alenzonij, propter quem cum aliquot diebus Rex mihi operam dare non potuiſſet, demum XIX. die vehementer urgente me ut mihi daretur reſponſum, quod ad Cęſ. M.tem V. mitterem, ne diutius teneretur incerta, admiſſus ſum ad Regem. Qui initio ſermonis à me petijt facerem M.tem V. certiorem calamitatis atque infortunij ſui (ita enim vocabat) confidere ſe pro eâ neceſſitudine quę ei cum C. M.te V. intercederet, proque voluntate M.tis V. quam in ſe cognoviſſet, ſuá vicem Cæſ. M.tem V. ægrè laturam. Nam ſe recordari Cęſ. M.tem V. ſuperioribus temporibus monere Alenzonium, ut ſe à novis rebus conſilijſque abſtineret. eo autem indignius feciſſe Alenzonium, quod ipſe ſibi conſcius eſſet, nihil à ſe profectum, cur hæc moliri aut à ſe profugere debuerit. ſed illum improbis pravorum hominum conſilijs ab officio abductum, cum tamen ex parte nullum ei fraternę benevolentiæ officium defuiſſet. Cœterum hanc novitatem ſibi eſſe impedimento, ne poſſet Reginam hoc tempore quemadmodum conſtituerat remittere, neque me non proſpicere, quantis in difficultatibus verſaretur. Erant nimis vera quę à Rege dicebantur, itaque reſpondi me ei morem geſturum, ſcripturumq; quemadmodum volebat C. M.ti V.

neque

neque dubitare quin M.tas V. pro plurimis mutuæ cõjunctionis vinculis hunc ejus caſum communem exiſtimatura graviſſimèque latura eſſet, neque ei defuturã ſi quâ in re poſſet hanc ejus calamitatem ſublevare. ea dixi deinde quæ ad ejus conſolationem pertinere videbantur. Sed quod ad Chriſtianiſſimæ Reginę diſceſſum attineret, dixi Cæſ. M.tem V. ejus pręſentiam magnopere deſiderare, neque pati ejus rationes eam abeſſe diutius. Si quid in pręſens remoraretur, at quam breviſſimã fieri poſſet ejus profectionis diem ſtatueret. Rex deliberaturum ſe dixit, mihique poſtridiè reſponſum unà cũ ſuis ad Cæſ. M.tem V. litteris miſſurum promiſit. eadem fere ultrò citròque cum Reginâ ſeniore acta, niſi quod hoc addidi amplius, exiſtimare me ſi Reginæ diſceſſus protraheretur longius, coactum iri C. M.tem V. rationẽ inire quemadmodum ipſamet ſuis ſumptibus eam dõmum reduceret, neque enim filię abſentiam ferre poſſe diutius. Ex eo tempore non deſtiti quotidie urgere Regem & reſponſum flagitare, ſed nihil proficiebam. Quum enim Rex ſuis miniſtris negocium dediſſet, ut pecuniam ad iter Reginę neceſſariam conquirerent, in eâque reperiendâ ſumma ſe offerret difficultas, neque Rex niſi eâ inventâ, de die diſceſſus Reginę quicquam certi ſtatuere poſſet, fiebat ut non haberet quod reſponderet. Interea nihil earum rerum negligebatur quæ Chriſtianiſſimæ Reginæ uſus & ſervitium exigebat.

 Domi-

Digitized by Google

Dominij fiebat æſtimatio & item earum rerum quæ erant extra dominium. litteræ contractus formabantur, quod deerat de dominio poſtulabatur. Nam Ducatus Bituricenſis, cum Comitatu Foreſtenſi, utrâque marcâ & Remorantino, haud paulò ultra xxvi. millia conficiebant, ita ut penè vi. ad eam ſummam quę Reginæ promiſſa erat, deeſſent. in quibus inveniendis in ſummâ dominij inopiâ non exiguus labor relinquebatur, eò magis quod Regis quidam præpoſterè diligentes miniſtri, clamabant ęſtimationem dictorum locorum minoris factam quam ea valerent, eoque libenter ſuâ improbitate nos redegiſſent ut ijs xxvi. pro xxxii. contenti eſſemus. demùm ægrè perfectum eſt ut adderentur duo loca eaque decerpta ex Ducatu Borbonienſi Mura & Gannat, atque ita cumulatè confectum xxxii. millium Francorum dominium, reliqua verò ita ſuppleta, quemadmodum C. M.tas V. ex adjunctis fœdis videre poterit, in quibus omnibus & judicium & cautio quę potuit maxima adhibita fuerunt. Sed ad Chriſtianiſſimæ Reginæ diſceſſum quod attinet, nullum mihi multis diebus reſponſum à Rege polliceri auſim. præclarè quidem ei decreta xxxii. millia Coronatorũ, ſed in repręſentandis numerandiſque ingẽns labor. xx. quidem millia Rothomagi aſſignata, xv. Novembris cedere incipient, eaque ſpero fore certa. ſuperſunt xii. millia quę poſſent fortaſſe nos etjamnum hîc diu detinere.

nere. Sed ei re:proſpectum eſt Cæſ. M.^tis V. benignitate, tantâ ſummâ per mercatores Norimbergenſes ſubmiſſâ, quá fretus etjam ſine Regis reſponſo, prorſus confido circiter xxv. aut xxvi. Novembris Reginam iter ingredi poſſe. Nam ejus pecuniæ (ſi ita res ferat) jacturam facere ſatius mihi videtur quam temporis, ne quid poſtea incidat, (ut ſunt res humanæ) ut occaſionem prætermiſiſſe vehementer pœniteat. Quamquam illa xii. millia à Rege decreta Chriſtianiſſimæ Reginæ ſervari poſſe non diffido, etjam poſtquam abierit. Sed ubi profectionis dies appropinquabit, Regina proprium tabellarium mittet, qui certa omnia ad C. M.^tem V. perferat. Hunc ne M.^tas V. diutius ſuſpenſa diſtineretur, nõ eſt viſum retinere diutius, quem ipſum jam diebus aliquot Regina remiſiſſet, niſi Regis litterę ad C. M.^tem V. expectarentur, quas ille indies pollicetur, neque dat tamen, una relinquitur cogitatio neque ea levis de itinere Chriſtianiſſimæ Reginę. nam cum plures Equites Germani adventare dicantur, & periculum ſit ne totius belli moles in Campaniam atque ea loca derivetur, quâ Reginæ faciendum ſit iter; non eſt extra dubitationem ne iter Nanceium aut non ſit pervium, aut certè non ſatis tutum. Eſto Reginæ quidem nocebit nemo, ſed de comitatu ejus Gallico idem præſtari non poterit, neque erit fortaſſe è dignitate Regis ut veluti precariò iter ab hoſtibus ſuis impetret, atque vi-

 ros

ros præcipuæ in Galliâ dignitatis nobiliſſimaſque fœminas illorum arbitrio permittat atque exponat, præſertim cum nihil adverſus horum temporum licentiã atque inſolentiam ſatis tutum ſit. De quibus quidem rebus Rex in præſentiâ ſtatuere nihil poteſt, ut qui neſciat quis intra dies xL. ſtatus rerum futurus ſit. ſed quotquot conveni viros graves & bono judicio prẹditos, de iſto itinere vehementer dubitare video. Quod ſi hoc iter intercludi contingat, haud ſcio an ullum commodius relinquatur Belgico, per Cameracum Valentinianas, Montes, Namurcum atque inde vel Confluentiãm vel Treviros. In quo rurſus hæc difficultas occurrit, quod fortaſſe grave futurum ſit ejus provinciæ Gubernatori tantum Gallorum numerum his temporibus per ea loca iter facere. cui rei ſic occurri poſſet, ſi Gallicus comitatus Cameraco aut Valentinianis remitteretur, iiſque in locis præſto eſſent quæ C. M.as V. mittet officia. culinę, cellæ vinarię, menſæ &c. Nam Regina quidem horum nullum ultra Nanceium eductura eſt: quemadmodum Cæſ. M.tas V. è catalogo eorum hominum qui cum Reginâ venturi ſunt, jampridem ad M.tem V. miſſo clementer intelligere potuit. Item eſſet aliquot nobilibus opus qui his officijs præeſſent, ſed tota iſta ratio difficultate non caret. & eſt multò incommodior; ſubeunda tamen ſi ita neceſſe ſit. Volo quidem ſperare optima nec fore opus iſto circuitu, ſed tamen ſi ſpes

Digitized by Google

ſpes fallat, ut ſæpe fallit, nolim magno cum incommodo fallat, neve ita imparatos offendat, ut tota itineris ratio retexenda, totaque de integro, magnâ cum iacturâ temporis inſtituenda ſit. quare mihi videtur conſultum in hunc quoque eventum, paratas habere rationes atque conſilia: atque interea ipſius Gubernatoris animum tentare per litteras, ut ſi alio itinere perrumpi non poſſit, hæc certè via pateat, ſed de eo M.tas V. pro ſuâ prudentiâ optimè ſtatuet. De pecuniâ Norimbergâ Cæſ. M.ti V. mandato Chriſtianiſſimæ Reginæ ſuppeditatâ nullaſdum à M.te V. litteras accepi, tantum mihi dixit procurator illorum mercatorum, ſe tantum habere quod Reginæ ſolveret, ſolutionis tamen diem finem eſſe Octobris, interea ſe pecuniam cōquiſiturum, quod ſi interim quid opus eſſet, ſe partem aliquam repræſentaturum. Ex Cæſ. M.tis V. litteris quæ diu tardare non poſſunt, quomodo ſe hoc negocium habeat planius intelligam. Sed neque de horologijs, neque de rebus meis quod ſcripſeram ullum adhuc reſponſum accepi. De negocio Kinsky faciam quod mihi imperat Cæſ. M.tas V. ubi verò Schomberg à bello in quo nunc abeſt cum Domino de Guisâ redierit, aut ſi reſcripſerit ad eas litteras quas ad eum dedi, faciam Cæſ. M.tem V. de reſponſo certiorem. Accepi à Morvillerio Epiſcopo Aurelianenſi coron. piſtoletos ..... ad rationem ſumptus mei annui, eos ut M.tas V. Vilcobo more ſolito reddi iubere

iubere dignetur humilimè oro. Deus Cęſ. M.tem V. &c. Lutetiæ XXIII. Octobris cIↃ. IↃ. LXXV.

EPISTOLA XXIX.

SCripſi proximè per Petrum tabellarium quæcumque ſcribenda ſe offerebant, ab eo tempore accepi à Cęſ. M.e V. litteras IV. Septembris Pragæ datas, quibus me facit certiorem actum cum mercatore Norimbergenſi de pecuniâ quæ hîc Chriſtianiſſimæ Reginæ ex permutatione reddatur. Itaque brevi ſpero affore litteras permutationis, ſive, ut vocant, cambij. atque in eâ quidem pecuniâ certi Chriſtianiſſimę Reginæ reditus potiſſimam ſpem repoſitam habeo. nam ut magnificis quę hîc fiunt promiſſis confidam, tempora faciunt, atque ingentia onera quę his incumbunt, quibuſque premuntur. XX. millia Coronatorum certa fore putantur, ſed ea penè tota in ſalaria familiæ apparatumque itineris erunt opus, ut nihil niſi minimum quiddam reliquum futurum ſit. Sunt præterea etiam promiſſa XII. millia, quę quidem abundè ſufficerent, ſi certa eſſent, ſed vereor ne valde ſint imparata, neve dum ea expectantur cùm incredibili Reginæ moleſtiâ atque animi ęgritudine, atque utinam ne cum invaletudine. nam dici non poteſt quàm anxio animo ea ad Cęſ. M.tem V.

redire

redire cupiat,turbaſque iſtas tantamque rerum confuſionem relinquere. Spero etiam Cæſ. M.tem V. illius pietatis & perpetui obſequij rationem habituram, neque ei defuturam quæ ęquiſſima ſunt poſtulanti,neque paſſuram ut ſpe penè certâ reditionis factâ,ſi res non ſequatur,illa gravius decepta doleat. de jtinere quod factura ſit etjam atque etjam cogitare Cæſ.M.tas V. non gravabitur.Nam hîc quidem penè conſtans fama eſt, adventare iamque eſſe in procinctu alios Germanos Equites, quod ſi verum eſt illud etjam timendum eſt, ne totum bellum in ea loca transferatur, qua jter eſt in Lotharingiam.Comitiſſa de Arenberge Nanceio dedit litteras quibus Chriſtianiſſimam Reginam certiorem facit de ſuo adventu, deinde quid à ſe fieri velit, & quæ ſpes ſit propinqui diſceſſus exquirit. res quidem domeſticas,à quibus diutius abfuerit, præſentiam ſuam deſiderare, ſed poſtpoſitura omnia, dummodo Reginę commodis jnſerviat.Ad ea Regina reſpondit de diſceſſu ante xxv.Novembris exiguam eſſe ſpem:licere ei interea res ſuas reviſere, modo ad eam diem Nancei ſe ſiſtat,quo câ utatur itineris ſociâ & comite, quemadmodum C.M.ti V.placere ex ejus litteris intellexit.Eam tamen ne fallatur, ſuis litteris de totâ re ſubinde factum iri certiorem. tantum abeſt Comitiſſæ domicilium à Nanceio ut ſex aut ad ſummum ſeptē diebus eam poſſe illo pervenire putem.De reliquo idem ferè hîc rerum

Digitized by Google

ſtatus qui nuper, niſi ſi fortaſſe aliquanto ſit etjam deterior. nam pacis ſpem in quam omnes omnia ponunt nonnihil imminuiſſe videtur Alenzonius, quod cum nuper oppidum Blois veluti tutam ſedem viſus eſſet approbare, ubi de pace ageretur, nunc mutatâ ſententiâ Pictavium ad eam rem depoſcere dicatur, quod Regis adverſariorum nullus oppido Blois ſalutem ſuam credere velit, loco nimium vicino Lutetię & multis inſidijs expoſito. quod fieri nonnulli putant, non quod ei pax cordi ſit, ſed ut per hanc occaſionem, oppido firmiſſimo potiatur, dies docebit. Memorantius quidem paucis diebus ad eum profectus eſt, in quem omnium mentes tamquam in certiſſimum pacis arbitrum verſę. is cum ex hac urbe diſcederet, tanto nobilitatis atque aulicorum comitatu deductus fuit, ut inſigne fortunæ commutationis exemplum haberi poſſet; cogitanti quanto paulò ante periculo fuiſſet, quantoque omnibus odio & contemptui: adeò ut vix eum carceris munitio ab incurſu & contumelijs populi & malevolorum tutum præſtare viderentur. Frater ejus Thoręus cum ſuo agmine, incolumis ad Alenzonium peruenit, diſſipatis paſſim qui ſe ei opponere conabantur, & captis etjam nonnullis, qui eum cupidius perſequuti ſunt. De Horologijs quod Cæſ. M.tas V. clementer reſpondit, eo me quod C. M.ti V. probatur, humilimè contentum eſſe decet. Lutetiæ XXIII. Octobris CIↃ.IↃ.LXXV.

Illud

Illud etjam non videtur prętereundum ut C. M.tem V. humilimè orem, ut ſi quid ſit quod ad Reginæ diſceſſum aut iter pertineat in quo ſim admonendus, id C.M.tas V.maturè facere dignetur,ne ſi ſerò fiat cũ magno incommodo jam acta retexere oporteat. Nam ego eam rationem proſequar de quâ ſcripſi: daturuſque ſum omnem operam, quo Regina, niſi me omnia deſtituant,ad xxv Novembris diem ad iter parata ſit. itaque cogito circiter xx.Novembris per proprium tabellarium M.tem V.certiorem facere,ille vix perveniet ad Cęſ. M.tem V.ante xxvii. Iam verò antequam illi qui Reginam deducturi ſunt de Cæſ. M.tis V. voluntate doceātur & Nanceium pervenire poſſint,ſpatio opus erit. Itaque tunc ſupplicare cogito Reginæ, ne ęgrè ferat ſuum diſceſſum differri in primum Decembris, ut demum ſit Nancei circiter x. aut xv. eiuſdem,quo illi ad conveniendum plus temporis habeant, qui illi ibidem præſto eſſe debebunt.Quæ ideò C.M.ti V. ſcribo ut ſi quid ſit quod in hac ratione me fallit M.tis V. litteris clementer corrigat.

Digitized by Google

EPISTOLA XXX.

EA nocte quæ anteceſſit Calend. Novembris Ludovicus Gaus multis vulneribus in lecto confoditur. poſtero die toto, occluſis Lutetiæ portis, percuſſores quęſiti nec reperti. autor tamen cœdis aut certè conſcius habetur Regis frater Alenzonius, cui is Gaus non minus erat inviſus, quam carus & acceptus Regi. utriuſque odij & benevolentiæ cauſa non valde memorabilis, ſed quæ tamen vel ob id ipſum, non prætermittenda videatur. Quum ſuperioribus annis Thorçus Conneſtabilis filius cum Gao pilâ palmariâ luſiſſet, & multos aureos perdidiſſet, poſtulante Gao ut ſibi ſolveretur, detrectabat ac tergiverſabatur Thorçus, quâ re commotus Gaus, productos è ſtabulo Thorçi aliquot equos auctionatur, iiſque divenditis eam ſummam cōficit, quę ſibi ex ludo debebatur. Certior factus Thorçus fert indignè deque eâ re cum Gao rixam orditur, à quâ mox venitur ad arma, nunciatur hoc factum Regi qui tunc Dux erat Andegavenſis (nam Rex ſuperior etjamnum vivebat) qui veritus ne à potentiore Thorço Gaus ſuus domeſticus opprimeretur, prodit cum ſuis cuſtodibus, ut eum tueatur ſi quis vim faciat, defertur eodem tempore ad Alenzonium, verſari in magno diſcrimine Tho-

Digitized by Google

Thorçum, nam Andegavenſem Gao veniſſe ſubſidio, eâ de re non dubitat ille ſimiliter cum ſuis ſtipatoribus accurrere ut Thoræum ſuum familiarem ab injuriâ defendat, paratum erat fœdum certamen ſi res longius proceſſiſſet, ſed dum Helvetij conſideratius agunt, ut res tanta poſtulabat, diſceſſum eſt ſine ſanguine. Sed tamen ex eo tempore neque inter fratres ſatis convenit, & Thoræum totamque domum Memorantiam Rex odiſſe cœpit. contra Alenzonium Gaus ſemper habuit infenſum, eoque magis, quod is Regis gratiâ fretus Alẽzonium contemnere & parùm honorificè de eo loqui ſit ſolitus: cujus rei nunc graves pœnas dedit. hunc Gaum Rex præfecerat x. cohortibus Gallicis, quas inſtar cohortiũ Prætorianarum habere inſtituerat, in ijs erant multi ſelectiſſimi milites, decuriones, & cẽturiones, qui rarò à Gai latere diſcedebant, ac ferè domi ejus capiebãt cibum, Rege ſumptus ſuppeditante: cujus quidẽ menſæ is erat ſplendor, eaque lautitia, ut neque Ducem Guiſiũ, neque eum quem vocant Navarrę Regem, reliquoſque Satrapas ad eam de improviſo cum eſſet viſum accedere pigeret. Rex enim erga Gaum mirum in modum ſe liberalem exhibebat. Nam certò conſtat ex quo redijt ex Poloniâ, erogaſſe ei in ſumptum ſupra L. coronatorum millia. cujus tamen laus erat maxima, Regis æmulari liberalitatem, neque quicquam de tantâ ſummâ ſibi ſeponere, aut domum avertere; quod æs alienum quod

Digitized by Google

reliquit xxx. millium coronatorum ſatis teſtatur. graviter ejus mortem Rex tulit, verendumque eſt ne hac veluti face motum inter fratres bellum gravius etjam exardeſcat. Deus, &c. Lutetiæ.... Novemb. cIↄ. Iↄ. LXXV.

EPISTOLA XXXI.

XIV. menſis ſuperioris venit à Cæſ.M.te V. Laurentius Scuter, qui mihi Cæſ. M.tis V. litteras reddidit; unas quibus intellexi à M.te V. de diſceſſu Chriſtianiſſimę Reginæ certum ac definitum reſponſum deſiderare. alteras quibus de permutatâ Norimbergæ pecuniâ clementer me facit certiorē. Quod ad diſceſſum Reginæ attinet, qui totus hactenus pependit ex alienâ voluntate, incertiſque eventibus, aliud ſcribi aut fieri non potuit, quam quod Cæſ. M.tas V. jam cognovit ex litteris quas Petro Tabellario ad eam proferendas dedi, quaſque item paulò poſt ſcripſi per Molam Auguſtanum, quo verò nunc in ſtatu ſit, is diſceſſus, ex ſequenti ſcripto M.tas V. intelliget, quo ea omnia complexus ſum, quæ ad eam rem pertinebant. Vna mihi ſolicitudo reſtat itineris, tum quod graviſſimum hoc anni tempore Chriſtianiſſimæ Reginę futurum ſit, tum quod verear ne objectis novis equitum Germanorum copijs,

Digitized by Google

copijs, id quod commodiſſimum & breviſſimum futurum erat, intercludatur. de quâ re totâ, ſpero me brevi clementer à M.[te] V. litteras accepturum. Viſum eſt Reginæ eum qui has defert nō detineri diutius, ne ejus litteras ut antea C. M.[tas] V. diutius requireret. Sed tamen ubi prorſus nulla relinqueretur dubitatio, de die quo diſceſſura ſit, alterum mittet qui hoc Cæſ. M.[ti] V. nuntiet, quique item Ilſingo ſignificet, ut ad eos ſcribat, quos adeſſe Reginæ M.[tas] V. juſſerit. Nam ita mihi cum hoc convenit, ut cum Ilſingo ageret, in quo dierū aliquot lucrum fieri poterit. Quod ad eas res attinet quæ hîc geruntur. Alenzonius Regis frater, paucis diebus Caſteldunum vicinum Pictavio oppidum voluntate civium occupavit. cum eo Regina ſenior inducias ſex menſium facere conatur. ſed ille interea quatuor oppida maximi momenti ſibi dari poſtulat, incolumitatis ſuæ causâ, Bourges Biturigum metropolim, Andegavū, Angolmenſes & Charitæam: ad quam conditionem vix credo deſcenſurum Regem, nam ſi de pace nihil conveniret, ſine magno negocio ea loca recuperare non poſſet. Regina quidem nihil videtur intactum relictura, ne filios inter ſe armis contendere patiatur, ſed me latet quantum efficere poſſit. Dux Guiſius nudiuſtertius huc redijt ex bello, cui maximâ frequentiâ obviam proditum eſt, maximaque ab omnibus ob rem benè geſtam gratulatio ei facta. Ejus vulnus extra omne periculum.

Digitized by Google

culum eſt nundum tamen planè coaluit. Venit huc Reipub. Venetę nomine Orator Michaelus ille quem M.tas V. Viennæ aliquando vidit multorum annorum hoſpitem, Rex maximum ei habet honorem, curatque ut ei victus ſplendidiſſimè præbeatur, ac regio planè apparatu ei miniſtretur. decretis in ſumptum quotidianum DCCC. francis. Cauſa legationis fertur gratulatio nuptiarum. cum nuper me inviſeret, multa dixit, quibus egregiam voluntatem atque obſervantiam erga M.tem V. teſtificaretur. Audio Pontificem Romanum huic Regi obtuliſſe III. millia Helvetiorum in bellum quod ei cum fratre cumque Hugonottis impēdet. Mihi dicunt neceſſarij Pybracqui ſe litteras ejus diu deſiderare, itaque ſuſpicari eum eſſe in itinere. nam antea ſuis litteris ſatis ſignificaſſe quam paruâ vel potius nullâ eſſet in ſpe rei benè gerendæ. eâque de cauſâ ſtatuiſſe eum cum primum poſſet illinc ſe ſubducere, ne quam contumeliam acciperet, non ab adverſarijs, ſed ab amicis, quorum autoritate abuſus eſſet, obnuntiando comitijs, quorumque expectationem fefelliſſet falſus ipſus aliorum inanibus promiſſis. Mihi Dominus Morvillerius numerari iuſſit D. coronatos; ut eos Cæſ. M.tis V. Vilcobo more ſolito ſolvi iubere dignetur humilime oro. Ego me &c. Lutetię IX. Novemb. CIↃ. IↃ. LXXV.

EPI-

EPISTOLA XXXII.

QVum jam ſępius miſſum eſſet Rothomagum exigendæ ejus pecuniæ causâ quæ erat Christianiſſimæ Reginæ aditer deſtinata, vix tandem heri totam numeratam eſſe huc allatum eſt. Eodem tempore Chriſtianiſſima Regina reſponſum à Reginâ matre accepit, quo ſe excuſabat quod maximis impedita negocijs ejus diſceſſui intereſſe, neque ei quemadmodum cupiebat valedicere poſſet. quibus rebus cognitis nihil amplius cunctandum duxit quin diſceſſionis ſuæ diem conſtitueret, ſumptus itaque ad eam rem dies menſis Decembris IV. quem diem Rex quoque à me conſultus approbavit; tametſi tam propinquum Reginæ diſceſſum ſibi dolori eſſe diceret, maluiſſeque ut Regina hîc maneret diutius, neque eum dubitare quin ejus præſentia multa à Regno Galliæ mala auertiſſet, ut vereri cogeretur ne ejus diſceſſu gravioribus calamitatibus Gallia obrueretur. At Regina M.tem V. de certo die ſui diſceſſus, primo quoque tempore certiorem faciendum putavit. nam quominus id antea fieret obſtitere dubij incertique ſimilium rerum eventus, maximè in tantis rei pęcuniarię anguſtijs, ne ſi quid impedimenti incidiſſet, illi deciperentur qui Nanceium

obviam veniſſent jam verò nulla mora quin ad dictam diem diſcedat.tantum eſt pecuniæ quod ſit in ſumptū Nanceium uſque ſatis. Maioris quidem ſit ſpes , ſed eâ conditione , ut poſtea de Reginæ reditibus recipiatur; quod cum tamen Regi grave ſit in tantâ inopiâ , haud magnum Reginæ beneficium eſſet cum certâ iacturâ temporis,exitus verò rei non niſi incertus oſtendatur: quo loco peropportunè nos ſubleuat pecunia à Cęſ. M.te V.prouiſa.Cæterum non puto Chriſtianiſſimam Reginam ante XVIII. aut XIX. Decembris Nanceium poſſe pervenire,nec ſum extra ſuſpicionem fieri poſſe, ut ibi pluribus diebus detineatur.ſi verum eſt quod putant nonnulli ferè ſub idem tempus nuptias Ducis Lotharingię ſorori,& Duci Brunſvvicenſi apparari. Dedi negocium ei qui has ferret,ut tranſiens Nanceium Ducem Lotharingię:Tabernas Alſatias,Epiſcopum Argentinenſem: Auguſtam Illingum,de die Chriſtianiſſimę Reginæ diſceſſus certiores faciat.Cęterum Regina maiorem partem ſuæ ſuppellectilis jam VIII. diebus præmiſit cum IV.curribus vino Aurelianenſi onuſtis,quod hoc aptiſſimum Cæſ.M.tis V. valetudini viſum ſit, ut ſi ipſa Danubium attingere non poſſit antequam glacie aſtringatur,illa ſaltem navigatione non excludantur.Cum ijs rebus miſſi canes venatici albi. duo item alius generis quos Limiers vocant, quos Regis mandato ducit nobilis puer duobus comitibus adiunctis.hunc puerum rei venaticę peritum ad C. M.tis V. oblectationem

Digitized by Google

tionem intereſſe putant, ſi cornu inflantem caneſque conſuetudine Gallicâ incitantem audiat. De negocio Io. Kinsky egi cum Schombergo, is ſe Kinskio quicquã negat debere, debuiſſe quidem ſed jam pridem eis ſolvendum curaviſſe, quibus Kinskius ſolvi voluerit, qui ſi ei minus ſatisfecerint, nihil referre ſua, ſe ſuo officio functum, eâ pecuniâ illis numeratâ quibus Kinskius numerari voluerit, cui rei judicio eſſe quod Chirographum ſuum quo ſe Kinskio obligarat, ſibi redditum ſit. Rogavi num illas haberet Kinsky litteras, quibus fidem facere poſſet, ſibi ab eo mandatum, ut illis ſolveret quibus ſe ſolviſſe dicebat, negabat ſe meminiſſe, dilacerari ſolere hujuſmodi litteras, fieri tamen poſſe ut haberet, hoc certò affirmare Kinsky verbis ſibi ita diſertè mandatum. Deinde ultrò accuſabat Kinskium quod ſe ita traduceret, ſuoque nomine ad invidiam abuteretur, quod non eſſet laturus impunè, niſi deſiſteret. Petij ut quę mihi pro ſe dixiſſet, ſcripto comprehenſa mihi daret, ut poſſem mittere ad C. M.tem V. facturum recepit, neque tamen fecit, tempore an voluntate exclusus, me latet, nam cum biduò poſt neſcio quo Rex ablegavit. Qui ſint hinc Reginam deducturi nominatim ſcire non poſſum: hæc enim ferè mutantur indies pro ratione temporum. De Cardinali Eſtenſi tamen certum. nominatur præterea Dux de Mayne, Epiſcopus Pariſienſis, Dominus de Luxembourg; & neſcio qui alij, qui tamen an

 ven-

venturi ſint mihi non eſt certum. De fœminis de quibus ſcripſi alias nihil mutatum niſi quod quidam putát, acceſſuram Comitiſſam de Retz. Pybracquus nudiustertius rediit ex Poloniâ, facto per civitates maritimas & Belgium itinere, etiam Comitiſſa de Arenberg de tempore profectionis Ch.ᵐᵃ Reginæ, facta eſt certior. Ego me &c. Lutetię IX. Novembris CIↃ. IↃ. LXXV.

Tandem Regina ſenior ſemeſtres inducias ad effectũ perduxit, his conditionibus ut Rex fratri, quo ei de incolumitate cautum ſit, urbes cedat, Bourges, Angouleſme, Meſieres, Niort, la Charité, Samur. Ad has duas poſtremas Ligeris ponte iungitur, liberumque habet Alenzonius exitum, ſeu velit in Burgundiam, ſeu malit in Britanniam minorem. Niort aditum ei patefecit ad urbem Rupellam, Angouleſme eum cum reliquis Regis adverſarijs coniungit, alioqui inſigni munitione vrbs, qualis etiam eſt Bourges, Biturigum metropolis. Sed ex his locis duo tantùm adhuc conſequutus eſt Niort & Samur, reliqua rebellare malunt quam ſe ei tradere, quod impendere ſibi graviſſimas calamitates putent, ſi dedantur Alenzonio, maximè ſi pacis ſpes evadat irrita; itaque ad arma ſe comparant, & ſibi alias civitates fœdere iunxiſſe exiſtimantur: Aureliam nimirum & Moulins, Regina ſenior ad illos proficiſci in animo habere dicitur; ut ſuâ pręſentiâ ad obedientiam eas revocet, neſ-

Digitized by Google

neſcio quid profectura ſit. Induciæ interim hîc publicè promulgatæ, ſed nihilominùs ex alterâ parte Germani equites, Rhenum tranſgreſſi progredi dicuntur. Itaque multis quam infirmæ videntur iſtæ induciæ. Rex quidem etjam hoc recepit, ſe Caſimiro ijſque qui eius ductu militant ſoluturum qningenta Francorum millia, ut ſe domum faceſſant, neque moleſti ſint. Eâque de causâ, cum pecunia deeſſet, magni precij gemmas ad Ducem Lotharingiæ miſit, ut ijs pignoris loco retentis, ſe pro eâ pecuniâ Caſimiro vadem conſtitueret, datâ tamē Duci optione, ſive eas gemmas ſive oppidum aliquod finitimum pro pignore habere mallet. Vereor ne illos facilius fuerit evocare, quam remittere, aut certè ne poſtremò ſe in Belgium proripiant. Meſieres domicilio Principis Condæi deſtinabatur, ſtipendium etiam Rex promiſit ſe ſoluturum duobus peditum millibus, quibus urbes ſupra dictas prẹſidijs Alenzonius firmet. Sed nihil magis in dubium has inducias revocat, quam quod Condæus neſcio quid Germanis equitibus promiſiſſe dicatur, ſi Rhenum tranſiſſent, quod Regem etiam præſtare oportebit ſi modò pacem volet. Aiunt certè inter Caſimirum & Condæum fœdus intercedere ut mutuis armis iuventur, utque nunc Caſimirus Condẹo opem tulit, ſic in poſterum ſi uſu veniat, Condæus ſuẹ factionis viribus Caſimiro opituletur, quod multis de cauſis ſi verum eſt animadvertendum videtur: ut ut ſit,

ita

Digitized by Google

ita ſunt initæ iſtæ induciæ ut facile appareat magis neceſſitate quam Regis voluntate factas, dum ille ab omnibus rebus imparatus, ad quaſvis conditiones deſcendere mavult, quam dum ingentes concipit iras, & magnum aliquid conatur, viribus non ſubſequentibus, nihil conſequatur aliud, quam ut ſuam infirmitatem prodat, certumque ſummæ rerum periculum adeat.

EPISTOLA XXXIII.

QVum Ch.ma Regina veniſſet ad oppidum Dormans VI. à Lutetiâ die, occurrit tabellarius cum C. M.tis V. litteris, ex quibus intellexi quæ eſſet eius de rebus ad iter Reginæ pertinentibus voluntas, cui exequendæ pro meâ virili parte minimè ſum defuturus. quod verò C. M.tas V. Viennam uſque Reginam proſequi, atque in eo itinere ſupremi eius cubicularij officio fungi voluit, pro eo honore humilimè habeo C. M.ti V. gratiam. Ch.ma Regina V. die iſtius menſis Lutetiâ profecta eſt, non ſine gravi mœrore multiſque lachrimis cùm univerſi populi Pariſiēſis tum optimatum omnium à quibus vnicè amabatur. Die XIX. venit Nanceium itinere confecto non ſine aliquo metu circumſtrepentium equitum Germanorum, ſed tamen ſine vllo incommodo. Advenienti Dux Lotharingiç cum toto

aulico

aulico comitatu ad unum milliare proceſſit obviam, eamque quam honorificè excepit. Eo die veſperi habita inter Erricum Ducem Brunſvvicenſem & Dorotheā Lotharingi ſororem ſponſalitia, quibus Regina interfuit, cōviuio tamen reliquiſque feſtivitatibus abſtinuit. Poſtridie ad Reginam acceſſerunt Comes à Schuartzenberg cum paucis Auſtriacæ ditionis nobilibus, cum quibus affuturus Schuēdius ni eum morbus domi retinuiſſet, qui tamen ſe in itinere occurſurum, ſi per eundem morbum liceret per litteras pollicebatur. Die XXII. affuit vnà cum coniuge Dux Bavariæ Guilhelmus, Epiſcopus Argentinenſis etjamnum deſideratur, quem non venturum; ex eius litteris quas Schuendius ad me miſit, intelligere video, deterritum metu tum equitum Germanorum, tum peditum Helvetiorum, qui per eius fines huc iter habent. Cum de adventu Dominæ de Arenberg nihil audiretur poſtridie quam huc venimus viſum eſt Reginæ tabellarium ad eam mittere, is eam domi offendit Reginæ litteras quibus arceſſeretur expectantem. Nam valdè incommodè acciderat, ut cum illa Lutetiam litteras dediſſet ad Reginam quibus de eius diſceſſu certior fieri cupiebat Reginaque per eundem qui litteras attulerat, reſpondiſſet, qui eas litteras ſe triduò Dominæ de Arenberg redditurum promittebat, incōmodè inquam acciderat, vt eæ litteræ perderentur, neque ad Dominam de Arenberg pervenirent, in quibus qui-

quidem de die ſui diſceſſus quidque eam facere vellet, Regina inſtruebat. Hę litteræ, vt dixi, amiſſæ, nonnihil Dominæ de Arenberg adventum retardarunt. Sed is quē dico tabellarius litteras ab eâ retulit, quibus die craſtinâ hîc affuturam ſcribitur, neceſſarius erit ei dies ad quietem unus, itaque diem diſceſſus ſui in diem Veneris xxx. iſtius menſis Ch.mam Reginam collaturam arbitror. Sancti Ioannis ordinis magiſter neque venit, neque vt intelligo venturus eſt. Oberrantium circumcirca equitum & militum terror omnia turbat. Idem nobis ex medio itinere Cardinalem Eſtenſem Lutetiam retulit revocatum litteris Regis, quibus ei ſcribebatur ſibi compertum eſſe ſtrui illi inſidias, cōſiliaque contra eum inita. Epiſcopus Pariſienſis eodem terrore inductus, heri primâ noctis vigiliâ pet diſpoſitos equos adiuncto bono ſclopetariorum equitum numero domū ſe recepit, eodem modo alij nonnulli, quibus periculum eſt hinc ſe furtim ſubducere & ſibi conſulere cogentur. Reliqui quibus cauſa nulla eſt, cur præcipuè ſibi metuere debeant fide Caſimiri freti, quam eis litteris conſignatam dedit, palam hinc digredientur. Nudiuſtertius Caſimirus quendam huc de ſuis Curię magiſtris miſit nominatum nî fallor Dieſt von Sterckenburg, qui Chr.mæ Reginæ adventum gratularetur, ſuaque eidem officia deferret, nonnullaque ad excuſationem conſiliorum atque inceptorum ejus diceret, quemadmodum fuſius ex

ipſamet

Digitized by Google

ipſamet Reginâ C. M.tas V. intelliget. Nam eam ſibi deprecatricem eſſe voluit ne Cæſ. M.tas V. ejus conſiliū in deteriorem partem acciperet. dum hæc à me ſcriberentur ex hujus urbis mœnibus prætereuntes equitum copiæ ſpectabantur, quę S. Nicolaum verſus atque inde oppidum Linville iter habebant, per quæ loca Chriſtianiſſimę Reginæ iter faciendum, ſed illæ antequam ipſa diſcedat, longius erunt progreſſæ, unum tantum erit incommodum, quod nobis annonam facient cariorem, cui incommodo illa rurſus conjuncta eſt commoditas, quod Dominæ de Arenberg iter quod ante periculo nō vacabat, tutum & expeditum relinquitur. Quo euaſuri ſint iſti apparatus, quidque futurum ſit dictu difficile eſt. Rex quidem de inducijs agit nec abhorrere videtur Alēzonius, ſed Condæus & Caſimirus ut pacem non reijciunt, ita inducias prorſus aſpernantur. Ajunt enim ſi hanc occaſionem dimiſerint, non futurum ſibi integrū copias denuò cogere, Regi quidem utiles fore inducias, qui poſſit cū velit novum exercitum comparare, ſed ſuā diuerſam eſſe rationē. Caſimirus etjam præter D. Franc. mil. ſibi ab Rege jam oblata ut exercitū dimittat, multum adhuc exigit veterū ſtipendiorū nomine, ſibi promiſſorum eo tempore cū ſuperioribus annis à partibus Regi contrarijs ſteterit, ſic totum illud negocium etjamnum anceps eſt. Reverſus ex Poloniâ ut nuper ſcripſi Pybracquus, dictitat inter familiares, hunc unum

Digitized by Google

fructum amicitiæ Gallicę tuliſſe Polonos, quod ijſdem malis contaminati ſint, quibus nunc perit Galliâ, civili nimirum diſcordiâ & bello inteſtino. De reliquo Regina optimè valet, omniaque itineris gravis atque impediti incommoda unâ ſpe brevi viſendarum M.tum VV. ſolatur. Duciſſa Lotharingiæ ſenior incredibili lœtitiâ ſe Reginæ adventu affectam oſtendit, perpetuumque ſtudium erga M.tem V. omniaque officia ſua hoc bono cumulatè compenſata ſe exiſtimare dicit, voluitque ut ita Cæſ. M.ti V. ſignificarem. Quam Deus &c. Nancei. XXVII. Decembris cIↃ. IↃ. LXXV.

DEſiderantur litteræ ſcriptæ in pago Markirchen quibus certiorem faciebam Cæſ. M.tem *de comprobato ratoque habito à Senatu Pariſienſi contractu noſtro. Scribebam item de intercepto direptoque .. . . oppidulo Lotharingiæ diuite & copioſo à Condæi militibus. poſtremo querebar de non ſolutis Domino Vilcobo nummis quos ab eo ſumpſeram. eæ litteræ miſſæ fuerunt per Portemanteau unà cum torque aureo, Regio munere, quarum nullum quod ſciam exemplum reſeruaui.*

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIV.

HEri Ch.^{ma} Regina venit in hanc civitatem Baſiliam, cras inde diſceſſura eſt, quatriduo Schaff-hauſen perventuram ſperant. quo inde & quâ iter ſactura ſit, video nundum ſatis conſtitutum eſſe ijs quorum primæ partes ſunt in eâ deducendâ, ſed ubi Schaff-hauſen attigerimus, tum demum eâ de re conſilium capietur: Vilingam omitti placere intelligo, neque ante XXVII. aut XXVIII. iſtius menſis ut celerrimé puto Mûchum perveniri poſſe. Epiſcopus Argentinenſis cras revertetur domum. hæc in omnem eventum tametſi nullum hominem certum cui darem habebam. Cæſ. M^{ti} V. ſcribere viſum eſt. Cui ego &c. Baſiliç XII. Ianuarij CIↃ. IↃ, LXXVI.

EPISTOLA XXXV.

QVo die Chr.^{ma} Regina venit Auguſtam XXVII. nimirum Ianuarij, eodem venit illuc remiſſus à Cæſ. M.^{te} V. tabellarius, cumque ex litteris per eum redditis Cæſ. M.^{tis} V. benignam voluntatem de Chr.^{mæ} Reginæ itinere cognoviſſem, placere ei ut quâ breviſſimo quamque commodiſſimo itinere Viennam ſe conferret, rem ad Serenitatem ſuam retuli, quæ pro-

Digitized by Google

perandi & ad C. M.tem V. quam-celerrimè perveniendi cupida, cum tempus ad navigandum aptum eſſe diceretur, in eam inclinabat ſententiam ut ſe Danubio committeret, quam rem cum retuliſſem ad Bavariæ Ducem Guilhelmum & ad Comitem de Schuvartzenberg, cõſultum fore viſum eſt illis, ſi antequam tabellarius dimitteretur, hoc totum negocium cum Duce Bavariæ ſeniore communicaretur, ut quam ille putaret expeditiorem ſeu terrâ ſeu flumine rationem itineris ex eo ſciſcitarentur. quę res ne diutius duceretur illico proprium curſorem Monachium Dux Guilhelmus dimiſit, ut cum iſtuc veniſſet Regina rem jam diſquiſitam atque exploratam acciperet. Monachium verò Regina venit Ianuarij xxix. Advenienti longè obviam proceſſit Dux Ferdinandus unà cum Marchione Badenſi cum eleganti magnoque equitum comitatu, ut is Reginæ introitus plurimùm haberet ſplendoris. Ducem ſeniorem invaletudo prohibuit ne extra ædes Reginam exciperet. Reginam totumque ejus comitatum ab expenſis liberum atque immunem habet, quæ res non parvam occaſioné adfert, quo maturius de diſceſſu Regina cogitare debeat, conſultus Dux ſenior de ratione itineris, aptiſſimã multis de cauſis, ſibi navigationem videri reſpondit, quaque uteretur ſi ſibi Viennam deſcendendum foret, quæ res Reginę ſententiam obfirmavit. cupiebat Regina intra quatriduũ diſcedere, die Veneris Februarij III. ſed cum

Dux

Dux inſtaret, ut ea in ſextum uſque diem maneret, viſum eſt hoc tam enixè petenti Duci non denegare. collatus itaque diſceſſus in diem Februarij VI. duo dies deſtinantur uſque Waſſerburgum, inde VII. Viennam uſque. ut niſi quid inexpectatum obſtiterit, ſperem Chriſtianiſſimam Reginam XIII. Februarij poſt meridiem Viennæ futuram. Faxit Deus eadem ſit itineris fœlicitas flumine quæ fuit terrâ. nam vario quidem ſed tamen pro anni tempore tolerabili itinere hactenus ſumus uſi. ipſa Regina belliſſimè ſemper valuit, niſi quod Baſileæ cum ibi unum diem commoraretur ex vomitu laboravit, plurimamque ejecit pituitam, quo perfuncta incommodo, ab eo tempore rectè valuit. Dux Bavariæ Guilhelmus unà cum uxore erga eam humanitatis nullas, neque officij partes cuiquam reliquas fecit. Baſileæ remanſit Epiſcopus Argentinenſis. Qui Chriſtianiſſimę Reginæ Nanceium uſque venerāt nobiles, eam comitati ſunt Vlmam uſque, quo in loco alij ſucceſſerunt, qui ei huc uſque miniſtrarunt, ij autem hîc ſubſiſtent, aut certè non ultra Waſſerburgum eam proſequentur. Quid porrò fieri debeat, intellectâ itineris ratione Cæſ. M.tas V. optimè ſtatuet. Sed tamen cum Regina navigare conſtituerit, comitatus frequentia non videtur valde neceſſaria. Ego me &c. Monachij ultima Ianuarij CIↃ. IↃ. LXXVI.

Digitized by Google

Duo dies additi ſunt navigationi, ut Cæſ.M.tas V. ex adiunctâ ſchedâ videre poterit, itaque puto demum ad diem xv. Februarij futuram Reginam Viennæ, adiunxi etjam hunc qualem potui catalogum familię & eorum qui Chriſtianiſſimam Reginam ſequuntur, quod id ad rationem deſignandorum hoſpitiorũ pertinere putavi.

EPISTOLA XXXVI.

SCripſi ultimâ ſuperioris menſis per Ægidiũ Chr.ma Reginę ſervitorem cubicularium quę tum ſcribenda videbantur, hodie accepi Cæſ.M.is V. litteras datas eâdem ultimâ Ianuarij, quibus nihil eſt quod reſpondeam, quam me ſtatim ſcripſiſſe Gubernatori Auſtrię ſuperioris quemadmodum Cæſ.M.tas V. iubebat, eique & diem diſceſſus & loca ad quæ ſingulis diebus divertere cogitabat ſignificaſſe ut ſcripſeram C.M.ti V: ex quibus litteris ille ſciet quid facto ſcit opus. in rebus Chr.mæ Reginę nihil eſt novi, niſi quod magno deſiderio diem VI. hujus menſis expectat, ut poſtremum tam longi iſtius itineris actum obeat, atque in C.M.tis V. cõplexum veniat. Roganti mihi ecquid vellet, reſpondit, nihil niſi ut ſuis verbis Cæſ.M.tem V. quam ſtudioſè & peramanter ſalutarem. Ego me &c. Monachij VIII. Feb. cIↃ. IↃ.LXXVI.

EPIS-

EPISTOLA XXXVII.

Litteras C. M.tis V. datas IV. Februarij accepi VII. ejuſdem in Monaſterio Ebersberg, cum Regina currum mox conſcenſura eſſet ut Waſſerburgum proficiſceretur. de quibus ſtatim retuli ad Illuſt: Ducem Bavariæ, & ad Comitem de Schuvartſenberg, qui ſe de totâ ratione itineris Waſſerburgi denuò deliberaturos dixerunt, idque fecerunt re cum nauclero communicatâ, ſed ille de ſuâ ſententiâ dimoveri ſe non eſt paſſus, daturum ſe quidem operam, ut citius ſi fieri poſſet Viennam perveniret, ſed brevitate dierum, aquę decretione, & matutinâ caligine prohiberi, ne plus promittere poſſet. Ego tamen magnam habeo ſpem vno aut altero die celerius Chriſtianiſſimam Reginam poſſe ad Mtem V. venire. Quod de Illuſtriſſ. Bavariæ Ducis cum conjuge aduentu nihil adſcripſi in litteris ſuperioribus in causâ fuit quod nullam dubitationem ręlinqui putabam, quin ille eſſet C. M.tis V. inſtructioni pariturus, quemadmodum etjam ille ſemper præ ſe tulit. Quod ſi ſecus fuiſſet atque aliquid innovatum & præter C. M.tis V. inſtructionem factum fuiſſet, non prætermiſiſſem C. M.tem V. ſtatim facere certiorem. nunc cum nihil eſſet mutatum non neceſſariam eâ de re ſcriptionem meam putabam, arbitrabar præterea Ducem in ijs faſciculis quos

mihi

mihi Viennam mittendos dederat, litteras etjam ad C. M.tem V. incluſiſſe, quibus aliquam feciſſet adventus ſui mentionem. Poſtremò brevi ab eo deſignatorem hoſpitiorum præmiſſum iri ſuſpicabar per quē Cæſ. M.tas V. certior fieret de numero totâque ratione ejus familiæ ea me fefellerunt. ad Vicedominum Ghemgerum dedi litteras quemadmodum Cæſ. M.tas V. iuſſit, quibus ut potui certiorem feci de ratione dierum itineris Chriſtianiſſimæ Reginæ, de numero comitatus, deque reliquis rebus. de quibus ut à me doceretur, per litteras ſuas petebat. Itaque toti huic negocio ſatis promiſum eſſe arbitror. Ego me &c. Waſſerburgi VIII. Feb. cIↄ. Iↄ. LXXVI.

FINIS LIBRI I.

A V G E-

AVGERI GISLENI BVSBEQVI LEGATI CÆSAREI EPISTOL. LIB. II. AD RVDOLPHVM II. ROMANOR. IMPERAT.

EPISTOLA. I.

INTER, quòd mihi ſecundò Chriſtianiſſimæ Reginę, Cæſareę Majeſtatis Veſtræ ſororis, negociorum cauſsâ inſtituendum fuit Blæſium, fecit, ut eſſet longius litterarum meatúq; intervallum: quòd ſperarem me rebus confectis, aut certè infectis, de die in diem dimiſſum iri. Quod cùm

Digitized by Google

non fieret, neque tamen negocia illa deſerere poſſem, quòd magna Reginæ res ageretur, tandem rationem ineundam duxi, ut hinc litteras darem; ſicuti facio. Quo tempore ſum ad Regem admiſſus, ut agerem de quibus dixi negocijs, eodem tempore reddidi Cæſ. M.tis V. litteras, pauca præfatus: nimirum Cæſ. M.tem V. bonis auctoribus certiorem eſſe factam, conveniſſe illum cum fratre in expeditione Belgicâ, cui rei M.tas V. fidem non adhiberet. Quòd ſi tamen ita eſſet, neque M.tem V. neque Imperii Electores, quorum tantopere intereſſet, id poſſe tolerare: quemadmodũ amplius cogniturus eſſet ex ipſis C. M.tis V. litteris. Ad quæ Rex reſpondit, ſibi cũ fratre in rebus Belgicis nihil eſſe commune: cui rei argumento eſſe, quòd, ſi ſe frater adjutorem habuiſſet, longè nuper in Belgio majorem ruinam daturus fuerit. Eum non multùm uti ſuis conſilijs, atque etjam in præſens majorem ſtrepitum edere, quàm ſtragem: imò ſi quod ſit incommodum, in ſe ſuoſque ſubditos redundare, qui jam per multos menſes, intactis Belgij colonis, à fratris militibus vexentur & diripiantur. Viſurum ſe, quid C. M.tas V. ſcribat, daturumque reſponſum. Ne pluribus aut aſperiùs agerem, retinuit me, quòd Reginæ interſit, ne me his temerè inviſum aut odioſum reddam. Id reſponſum Cæſ. M.tas V. cum his litteris accipiet. xxv. Martij, cIↃ. IↃ. LXXVI.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA. II.

DVbium eſſe deſijt, Auriacum vivere & valere. Sed vixit uxor, lateris dolore abſumpta. Penè Auriaco exitio fuit venæ maxillaris ruptio, ex quâ tantum fluxit ſanguinis, ut pro conclamato haberetur, neque ſiſtendi via reperiretur, quod ille per triginta ſex horas cõtinuavit, confectis tamẽ ſubinde alijs, qui manu cubitũ illi fulcirent, alioquin labori futurũ imparẽ. Regina Angliæ bonã pecuniæ ſummã ſuppeditaſſe dicitur Alenzonio, nimirũ trecenta coronat. mil. Ad Belgas quoq;, ſi ſe ſub ditionẽ ejus ſubmiſerint, latũ ferunt, ut quintã partẽ omniũ bonorũ ſuorũ in belli imminentis ſumptus contribuant. Quod ſi perfertur, ea erit haud contemnenda ſumma, alendo aliquãdiu bello ſuppeditatura. Audenarda obſidetur à Principe Parmenſi, ejuſq; muri admotis tormentis quatiuntur: ſed qui ſunt intus propugnatores monuiſſe dicuntur Alenzoniũ, ne quid eorũ cauſsâ ante duos menſes metuendũ putet. Interea Aloſtũ interceptũ manet in poteſtate Alẽzonij, quod quidẽ multas & magnas cõmoditates adferebat Parmẽſi. In eo cæſi ſunt aliquot boni milites, qui fortiter pugnãdo mortẽ oppetere maluerunt, quàm turpiter ſe dedere. Nõ abſunt procul Cameraco equites Germani, mille, ut fertur, & quingenti, ab Alenzonio mercede conducti; quos ſequentur alij: ijs ſe benè multi Galli cõjungunt, pręter eos qui jam frequẽtes ſunt in Belgio. Videtur id Alẽzonio propoſitũ

ut vaſtandis ferro flammâque Hannoniorum aut Artheſiorum finibus, Parmenſem ab Audenardæ obſidione revocet. Audio eundem Alenzonium miſiſſe in Italiam, qui conducerent equites inſtar Epirotarum. XXX. Maij, cIↄ.Iↄ.LXXXII.

EPISTOLA III.

FErvet bellum, Parmenſis facto expugnationis Audenardæ periculo, cùm nihil egiſſet, totâ noctem inſequentē tormentis intonuit, neque mœnia percutere deſtitit, quò deterreret oppidanos à reparandâ murorum ſtrage. Ab eo tempore nihil eſt allatum: ſed difficilē fore expugnationem conjiciunt, præſertim ingruentibus Alenzonii auxiliis, quę jam urbi Atrebatum ita appropinquāt, ut vix duo milliaria abſint. Quæ ſi nihil aliud agant, quàm ut maturas fruges exurant, ſanè damnum erit & ei civitati: tum reliquis, quæ eundem caſum ſubibunt, non ferendum. XXVI. Aprilis, cIↄ.Iↄ.LXXXII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

ALlatum eſt, Audenardenſes tres fruſtrà oppugnatos, tollerabilibus conditionibus ſe dediſſe Parmenſi. Contrà ajunt Bouchinium, munitiſſimũ oppidulũ Hannoniæ, Cameraco propinquũ, proditione ejus; cujus cuſtodiæ Parmẽſis cõmiſerat, veniſſe in poteſtatem Alenzonij. Alenzonius magnum ſe Catholicorum propugnatorem præfert, quibus templa multis locis reſtituenda curat. Ex quo nonnulli non fore diuturnum in eis Regionibus ejus Imperium arbitrantur; quod diſſimilium non ſit fida ſocietas: connivere quidẽ Catholicorum adverſarios præſentis ruinæ metu; ſed ubi periculum præterierit, in promptu fore mutationes. Optimam poſtremò partem exuviarum laturum Auriacum, Hollandiæ & Zelandiæ quietam poſſeſſionem. XII. Iunij, CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA V.

REx profectus eſt Lugdunum; quâ de causâ, incertum. Deſiderium ejus, relinquendæ ex ſe virilis ſexus prolis, religioque (quapropter Divorum aras

 fre-

frequentat, apud quos vota valere vetere famâ receptum eſt) credibile fecit, eò profectum, ut alicujus Divi, miraculis clari, in eo itinere delubrum viſeret, votaque nuncuparet, ſi ſibi proles maſcula naſceretur. Quâ in peregrinatione amplius duos menſes aberit. Interim ſumma Regni permiſſa eſt matri, cui per hanc occaſionem magna Alenzonio gratificandi, auxilijſque, quibus valet, juvandi poteſtas erit. IV. Iulij, cIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA VI.

TAndem dubitari deſitum eſt de clade ad Terzeras acceptâ; poſtquam litteris ex Hiſpaniâ allatis eadem affirmata ſunt, niſi quòd nonnulla paulò ſecius referuntur. Inter cętera Stroſſium, & eum quē Don Antonij Conneſtabilem vocant, in poteſtatem hoſtiū veniſſe, ſed ita vulneribus gravatos, ut paulò poſt exſpirarint. Galli interpretantur veneno in vulnera injecto mortis quæſitam celeritatem. Nobiles ad quadraginta pro piratis, quòd nullum à Rege mandatum oſtendere poſſent, quo eis hæc expeditio imperaretur, capite truncatos; gregarios milites ad trecentos eâdem de cauſsâ ſuſpendio necatos. Atque hanc victoriam alterius tardiore navigatione ſolius claſſis Lisbonâ profectæ fuiſſe memorāt. Cujus tantæ felicitatis cauſſam adferunt magnitudinem

Digitized by Google

tudinem navium,& vim bombardarum. Quibus quidẽ rebus iſti ad magnam vindictæ cupiditatem exarſerunt, adeò exacerbatis animis,ut diu homini Hiſpano in Galliâ obverſari tutum futurum non putem, ipſique, cõduplicatâ ad bellũ voluntate in Belgium ruant:ulturi hunc caſum an eundẽ ſubituri,Deus novit. Magnum certè ex omni parte militũ numerũ in Belgium influere conſtat, maximumq́; jam habiturum Alenzonium exercitum. Cujus ductores ſunt Princeps Delphinus, Rochefocaldus,Lavalius Dandeloti filius. Dux vetus & multorum bellorũ uſu peritus requiritur,quem tamen ſuo tempore non putant defuturum,utpotè Bironem quem ab Alenzonio poſtulatũ,nec à Rege cõceſſum aliàs ſcripſi. Eum arbitrantur,ubi tempus poſtulabit,hinc clam per Regis abſentiam, ita imperante Reginâ ſeniore,ad Alenzoniũ transvolaturum. quinimò idem facturas Regias aliquot equitum turmas,quę in extremis cõtra Belgium finibus ſtativa habent, ut nuper factum eſt,cùm Alẽzonius deductus fuit Cameracũ. Ante Gandavi portas,procurſantibus utrimque levis armaturæ militibus,tumultuaria aliquot prælia inita,cùm adeſſet cũ toto exercitu Parmẽſis,& Alenzonius ſpectaret ex mœnibus. Inde cęſis ex utrâq́; parte aliquot, pari ferè certaminis eventu diſceſſũ. Alenzonius cũ ſuis Antverpiã ſe retulit. Qui ſunt Liræ in prę ſidio, ad D. Bernardi Monaſteriũ munimẽtũ quoddã inſtituerunt,magno incõmodo futurũ Antverpienſibus

ſi per-

Digitized by Google

ſi perficiatur. Id ne fiat credibile eſt, omnibus viribus repugnaturum Alenzonium. E Scotiâ quoque res turbatę nunciantur, cæſum Regni Gubernatorem, Obenigniũm obſideri, Regulum ipſum in cuſtodiam datum, atque hæc omnia nomine Statuum fieri. His deinde admiſcentur fabulę, ei Regulo filiarum alterius nuptias pollicitum Hiſpaniarum Regem, modò Reginę Anglię moveret bellum. Quare offenſum Sabaudum avertiſſe animum ab amicitiâ ejus Regis, totumque ad Gallos tranſtuliſſe, eâque de cauſsâ ducturum uxorem, Regis Navarræ ſororem. videbit Cæſ. M^{tas} V. ex adjuncto libello, neſcio cujus conſpirationis in Alenzonium & Auriacum indicia; extra quem libellum nihil habeo, quod dicam niſi Salcedum illum, cujus in libello ſit mentio, captivum hîc teneri. Quo eventu, conjecturâ conſequi non poſſum, niſi quòd in Regis adventú eum reſervari ſuſpicor. Rex Lugduno ſe recepit ad uxorem, ad balneas Borbonienſes. xv. Auguſti, cIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA VII.

ET itineri & incœptis copiarum Alenzonij occurrit Parmenſis, caſtris ad urbem Atrebatenſem poſitis. Illæ deflectunt Caletum, ut quò itinere terreſtri prohibentur, mari perveniát & navibus traijciant ad Alen-

Digitized by Google

ad Alenzonium, qui quidem exercitum, quem jam habuit in Belgio, in varia præſidia partitus eſt. Itaque alios collocavit Bruxellæ, alios Mechliniæ, alios Vilvordiæ, quoſdam etjam in Geldriâ & in Friſiâ. Orator Hiſpanus unum miſerat de ſuis cum litteris ad Parmenſem, ſed is mox à primâ poſtâ incidit in neſcio quos equites, qui litteras quidem ei ademerunt, ipſum verò, quòd Belga eſſet, incolumem dimiſerunt, cum hac comminatione, non fuiſſe ſic diſceſſurum, ſed ſuorum conſanguineorũ manibus ad Terzeras mactatorum morte pœnas daturum, ſi fuiſſet Hiſpanus. XII. Septemb. CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA VIII.

NOn fefellit eos conjectura, qui Mareſchallum Bironium maturo tempore in caſtra Alenzonij conceſſurum ſuſpicati ſunt. Belgio Galliæ, quam Picardiam vocant, Rex eum præfecit: ut videret, ne quid in eâ parte detrimenti caperetur, & quod facto opus eſſet provideret. Cujus imperio juſſi ſunt ejus oræ Præfecti dicto audientes eſſe. Magnâ cum expectatione profectus eſt; habetur enim, ſi quis hodie in Galliâ, belli imprimis ſciens, ut qui multos annos militiam per omnes gradus ordineſque exercuit. Pars una Alenzonij exercitus ad eum in Brabantiam trajecit, altera & quidẽ multò major eſt apud Bironium. His accedit equitatus

Digitized by Google

omnis Regni, quem vicinis locis per ſpeciem prçſidij commorari ſolitum ſcripſi; nihilominus equitum amplius poſtulavit: nam peditatu ſe quidem inferiorem nihilo Parmenſi putat, equitatu verò minimè parem judicat. Itaque ſeptem aut octo turmæ equitum eò deſtinantur. Interea Peronam & Sanctum Quintinum, prçſidijs impoſitis, adverſus omnem hoſtilem impetum firmavit. Nam Parmenſis non obſcurè denunciare ſolet, ſi quam in partem ſuorum finium Galli faciant ruptionem, ſe continuò ad Sanctum Quintinum oppugnandum ducturum. ſic ei rei proviſum. Parmenſi una fames videtur metuenda, prçcipuè excluſo mari, prohibito Galliç commeatu. Multa ſunt, quç Regem arguant fraternis conſilijs indies fieri æquiorem. Nuper hîc nec opinatò datum quibuſdam negocium, ut libros ratiocinarios, Italorum præſertim, inſpicerent; ſi quæ pecuniç ad Parmenſem transmiſſæ deprehenderentur. Iuſſi deinde ex Galliâ duo migrare, Capellius quidam Mediolanenſis & Calvy Genuenſis, magnis indiciis uterque ſuſpectus navatç Regi Catholico in tranſportandis in Belgium pecunijs operæ. Apud quendam deprehenſa ſunt depoſita ab Hiſpano decem & octo aureorum Italicorum millia. ea fiſco vindicata, quod hîc alterius niſi Regiæ aut certè Hiſpanicæ notæ monetam habere edicto prohibitum ſit, ſed eam neceſſe ſit ad Collibiſtam Regium deferre, ut cum gravi jacturâ per-

Digitized by Google

râ permutetur. quo ex auro Rex novos nummos ſui ſigni conflat. Ita non modò cautum, ne hinc ullum adverſarijs Alenzonij famis ſubſidium pateat, omnì commeatus exportatione graviſſimè interdictâ: verum etjam id agi videtur, nę commercio deinceps locus ſit; itineribus omni ex parte ijs, qui adhuc Regis Catholici imperio parent interceptis, & ſic infeſtis, ut nemo hac tranſire poſſit, quin ſpolietur aut intercipiatur. Cujus rei nulla querela eſt, quòd latrocinio imputetur. Poſtis quidem, quos vocant, liber & apertus hactenus fuit in Hiſpaniam tranſitus, ſed nunc tabellario illuc feſtinanti negata equorum copia, niſi datis prædibus caveat, ſe nullas niſi mercatorum litteras ferre, quâ difficultate injectâ ille hîc retinetur. Cladis ad Terzeras acceptæ adeò non pœnitet, ut inſtituendæ novę claſſis & quidem multò majoris, quàm fuit ſuperior, cui Princeps aliquis pręſit, conſilium captum ſit. Itaque ſelectę naves, quas nunc ornare incipiunt, ut proximo vere ad expeditionem paratæ ſint: ſed dies multa mutat. Delphini Principis pater Monpenſerius ætatis exactę diſceſſit è vivis: eâ de causâ filium poſthac vocabo Monpenſerium; nam is nihilominus cœptum iter in Belgium proſequitur. Salcedus ille, de quo aliàs in litteris meis attigi, graves dedit pœnas, haud ſcio cujus criminis, niſi quod enorme fuiſſe oportet, cui tanta ſupplicij acerbitas conveniret. Quod unum in totâ Romanâ hiſtoriâ

Digitized by Google

reperitur, quo Suffetium Hoſtilius affecit. An in caput Alenzonij conjuraverit? an in Regis? an in utriuſque? mihi non conſtat. Damnatus fuit, ut à quatuor equis diſcerperetur. Cùm primùm equi trahere cœpiſſent, dixit etjam eſſe quædam, quæ vellet indicata: cùm ea per tabellionem eſſent excepta, laxari ſibi dextræ manus vincula poſtulavit. quo facto adſcripſit quædam, aut certè ſubſcripſit. Manu vinculis denuò adſtrictâ, cùm equi bis in diverſum acti traxiſſent, neque eum diſtraxiſſent, Regem, qui unà cum matre & uxore de feneſtrâ deſpectabat, inclamavit, ut in ſe uteretur clementiâ. Tum ei fracta gula, caputque à cervicibus ablatum, & evulſum cor, reliquum corpus diſtraxerunt equi. Caput miſſum Antverpiam, cum hoc mandato, ut in eminentiſſimo urbis loco figeretur. Hic fuit finis hominis, audaciæ & improbitatis prodigioſę. Adulterinos nummos cuderat, quibus cùm prædium emiſſet, fraude detectâ venditor, Majeſtatis accuſato Salcedo, villam ſuam recuperat: ille, ne oleo fervente, ut mos eſt, extingueretur, fugâ ſibi providit, ignem tamen in eam villam noctu conjiciendum curavit. parumque abfuit, quin dominus unà cum domo combureretur. Quo nomine cùm Rex, qui aliquoties acceſſit ad locum ubi cuſtodiebatur, eum increparet, quòd hominem, cui priùs nummis improbis impoſuiſſet, tali morte affectum voluiſſet; nimirum, inquit Salcedus, ille me elixatum voluerat, ego illum aſſandum

Digitized by Google

ſandum curaveram. Ingenium hominis! cui ne in tanto quidem caſu jocis abſtinendum videbatur. Vereor ne hujus indicio Comitis Egmondani frater periculosâ ſuſpicione implicatus hęreat. 1.Octob. cIↃ.IↃ.LXXXII.

EPISTOLA IX.

Bironius conſtitit ad Somam fluvium, ſuper cujus ripas habet caſtra. Sunt qui putant aliquamdiu ibi manſurum; ſpeculantem, quæ futura ſint Parmenſis conſilia, qualis exitus: cujus quidem exercitus cùm fame tum peſte vehementer indies extenuari dicitur. Curſor ille Belga, quem hîc retineri dixi, poſtquam per homines idoneos cavit, aliorum nullas, quàm mercatorum, litteras ſe ferre, in Hiſpaniam dimiſſus eſt. Orator Hiſpanus motus, quòd Salcedi caput Antverpiam miſſum erat, ut tamquam juſſu Regis in loco altiſſimo ſpectandum proponeretur, apud Regem teſtatus eſt, nullũ ei Antverpię imperium eſſe, Rex ad rem inexpectatam non habuit, quod reſponderet, niſi ſe fratri miſiſſe, ut eo faceret, quod videretur, ut hîc dicunt, *Qu'il en faict des petits paſtez, s'il vouloit*. Abire dicunt Schombergium in Germaniam; an ut militem conducat neſcio. His diebus venit nuncius è Galliâ Narbonenſi: aliquot nobiles Italos ex Hiſpaniâ redeuntes ab Hugenottis in mari exceptos retulit, ductoſque in oppidum Aygues-mortes,

inter quos ſuſpicantur unum eſſe de fratribus Marchionis Piſcarienſis; ſed tamen certum non ſcitur, quòd noluerint nomina ſua profiteri. Quicumque erunt, ſi ſunt alicujus loci, non facilè extricabunt, antequam Noveus in libertatem reſtituatur. Rex denuò peregrinatur, ſuſcepto in Divam Virginem lętitię præſidem itinere (*Noſtre Dame de Lieſſe* vocant) in finibus Campaniæ, quà Picardię jungitur, ut lætitiæ, ſi vera eſt conjectura, ex natâ ſibi prole, fiat compos. Ajunt Regem dediſſe negotium Britonibus, ut quinquaginta triremes ędificent. ſunt & alia indicia futuræ claſſis. xxv. Novemb. cIↃ. IↃ. LXXVII.

EPISTOLA X.

AIunt à Rege decreta eſſe Alenzonio in ſumptum ſingulis menſibus quinquaginta millia aureorũ, cui tamen præter id ſubinde aliquid muneris extraordinarij miſſitetur. Nemo eſt jam amplius, qui dubitet, quin Monpenſerius & Bironius ad Alenzonium tranſierint, facto ſupra Brugas per oram maris itinere. hos ſibi laturum putant Alenzonium, hunc rei bellicæ præfectum, illum Gubernatorem & rerum civiliũ Præſidem; ipſum verò trajecturum in Angliam, unde communicatis cum Reginâ conſilijs huc ſe recepturus ſit, ut conveniat fratrem. Nunc cùm maximè magno omnium

Digitized by Google

nium aſſenſu rationes repetere ab ijs dicitur, qui bona Eccleſiaſtica tractarunt, quos ſuſpectant multa domum, & in rem ſuam avertiſſe. Bironius non magnas, ſed ſelectas copias ſecum duxit, Regio equitatu confinium Gallicorum cuſtodię relicto, remiſſiſq; omnibus, quorum aut res, aut animi diuturnioris belli morę non videbantur ſuffecturi, aut quorum licentiâ populis illis tolerabilis futura non erat. Intra mille equites & peditum octo millia duxiſſe exiſtimatur. Qui tamen hoc leve malum putat, meo judicio non leviter fallitur. Magnas paulatim radices agit, quibus extirpandis multum futurum ſit negotij: cùm & haud ſcio, an pariter longiùs & propinquiùs ex ęquo metuendum. Sunt qui affirment copias Parmenſis morbo & fame afflictari, prĉſertim Italicas recentes, talibus hibernis ſolibus nondum aſſuetas. Recepit Parmenſis, antequam ſe in Brabantiam converteret oppidum Cambreſium. Is nunc arctâ obſidione dicitur premere Dieſthemium, Principis Auriaci ditionis oppidum: quo ſine dubio potietur, niſi ſubitò ſubventum ſit. Quo facto gradu Bruxellā putant tentaturū. Adſunt hîc frequentes Helvetiorum Legati omnium ferè pagorū ut fœdus cum hoc Rege renovēt, mutuoq; jurejurando firment. Agitur ea res magnâ celebritate & lętitiâ. atque illi ſolemnibus epulis magnificiſque conviviјs quotidie accipiuntur: modò Regis, modò civitatis Lutetiæ, modò Guiſianorum, reliquorumq́ue aulę Prin-

Principum. Quibus tranſactis donatiſque ſingulis magnis torquibus aureis dimittentur. Fama eſt Regem & Lotharingię Ducem eodem tempore huc venturos. Recentes redierunt ab inſulis Terzeris Galli quidam, qui nunciant ſalva ibi omnia, nec ullius rei inopiam eſſe præterquam veſtimentorum, quæ jam magno ſtudio illuc mittuntur: nam cùm bona pars cùm militum tum navium Gallicarum profligato Stroſſio eò ſe recepit, interim fama novæ expeditionis non intermittit. Hîc Rex dimiſſis in omnes regni ſui provincias primarijs & illuſtribus viris per ſpeciem corrigendorum, ſi quæ ſecus adminiſtrata ſunt, audiendarumque omnium querimoniarum, id agit, ut magno tributo eas denuò oneret, ſed non videtur ſatis faciles experiri. Quid tamen futurum ſit affirmare non auſim: neque enim, quod ſępè Rex voluit, adſequutus eſt. XV. Decemb. CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA XI.

HAud ſcio, an operę pretium ſit referre, quod nuper accidit Antverpię. erat in cubiculo Alenzonij Sanct. Lucas: is cùm gratiâ Regis excidiſſet, ſectam deinde Alenzonij ſequutum eſſe ſcripſi, ni fallor, aliàs; eo pręſente alius, neſcio quis, nobilis aliquid dixit, quod ille dictum nollet, & in ſuam contumeliam

acci-

Digitized by Google

acciperet. Itaque illi ſtatim os manu percuſſit coram & inſpectante Alenzonio. Id Princeps Auriacus, qui aderat, tulit indignè, neque adeò iram tenuit, quin Alenzonio diceret, tam indignum facinus non debere eſſe impunitum, neque fuiſſe laturum Imperatorem Carolum, cùm viveret, ſed ſeveriſſimè in authorem vindicaturum, cujuſcunque tandem dignitatis aut faſtigij fuiſſet. Inviolata & ſacroſancta eſſe debere cubicula Principum, in quibus nulli ſit injuriæ locus. Ad ea hiſce ferè verbis S. Lucam, Ain' verò, Carolum mihi narras? qui ſi viveret & bona & caput habere deſijſſes. quo dicto ſe proripuit, omneſque vecordis audaciæ admiratione defixos reliquit. XVIII. Decemb. CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA XII.

Dimiſſi hinc ab Helvetijs Legati, ſinguli quingentorum aureorum torque priùs donati. Viginti ſex fuerunt, quibus is honor habitus. Separatim tamen legationis Principes alijs muneribus cumulati, argenti, ſuppellectilis, aliarumque rerum. Oratio, quam Rex in eorum diſceſſu habuit, cum his litteris conjuncta eſt. Leges, quibus id fœdus renovatum eſt, habere non potui, tametſi in eo adlaboraverim. Iſti videntur nolle vulgari. Sic jam Regi de peditatu proviſum eſt, equitatum ſibi abundè eſſe in Regno ſuo arbitratur. Reſtat

pecunia, quæ cuditur eâ, quâ nuper ſcripſi ratione; quâ etſi hactenus parum profectum eſt, provincijs omnibus aures ad hujuſmodi poſtulata parum præbentibus: tamen ſic adhuc inſudatur, ut quid futurum ſit affirmare non audeam. Don Antonius cum aliquot navibus huc ſe retulit. An quod ad Terzeras ſibi parum tutus videretur, an quòd ſuam prę ſentiā adhortationemque non parum momenti ad novam expeditionem habituram putaret? mihi incompertum venit certè; & jam ſæpius ad ſecretum Reginę colloquiū admiſſus eſt. Hoſpitium ei datum proximum ædibus, quas nova Regina conſtruxit, quo ſæpè ſecedere ſolet. Is Don Antonius diebus proximus Dieppam profectus eſt, ut pręſens maritimum apparatum urgeat, alioquin deſiderio ſuo remiſſiorem. Dici non poteſt, quàm ſint omnium iſtorum adverſus Hiſpanos exulcerati animi, quantâque belli cupiditate teneantur. Liber ſub prælo eſſe dicitur, quo jus, quo ſibi Regina ſenior Luſitaniæ Regnum vindicat, prolixè exponitur. Auriacus cum febre periculosâ laboraret, ex quâ convaluiſſe dicitur, pro ejus ſalute non modo per Belgium verum hîc quoque Eccleſiæ quę ſe repurgatæ Religionis nomine venditant, preces publicè habuêre. Parmenſis Dieſtam atque alia pleraque non nobiliſſima loca in ditionem recepit: ex quo ita Bruxellę imminet, ut non ſit extra periculum, niſi fortaſsè Bironii hoſpitis non contemnendi cum copiis adventus

tus aliquid mutet. Quem quidem in Campiniam iturum ajunt, ut loca quædam Parmenſis conſiliis valdè neceſſaria expugnet. Alenzonius ab Antverpienſibus obtinuit, ut trecentis nobilibus Gallis hoſpitia in eâ urbe deſignarentur. Diem obijſſe Ducem Albanum ex Hiſpaniâ allatum dicunt. Præſidium, quod eſt Cambriſij equitatu validum, magnam adfert Gallis qui ſunt Cameraci moleſtiam, omnem eam Regionem ſuo diſcurſu infeſtans. Multos Dunquerkæ cives præſidium Gallicum interfecit, cum illi adverſus ejus inſolentiam arma cepiſſent. Turbę Colonienſes hîc ſunt in omnium ſermone. Poſt hunc qualemcumque fumum magnum incendium expectandum. Venit huc Dux Lotharingię cum duobus filijs, incertum quâ de causâ; vulgo ferunt, ut filiam Duci Sabaudię deſpondeat, filio vero maximo natu uxorem petat Regis Navarræ ſororem. Cæſaream Majeſtatem Veſtram Deus Opt. Max. in hunc annum & alios quamplurimos ſuâ ope auctam & conſervatam velit. Cui ego me negotiumque librorum Græcorum, quod jam tot annis pendet, humillimè commendo. XVI. Ianuar. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XIII.

PErquam fœdę ſunt hic tempeſtates Solis, jam per multos menſes Auſtris aeris imperium obtinentibus, & per continentes pluvias & procellas deſævientibus, ad hæc intempeſtivo & peſtifero tempore obnoxiam morbis æſtatem portendentibus. Flumina ripas ſupergreſſa longè latèque campos inundant. Sic madent agri, atque ita continuâ luvie diluuntur, ut corrumpantur ſata, cultoribuſque exigua ſpes bonę meſſis relinquatur, ex quo non modò futura gravior annona timetur, verùm jam ſentitur; aucto pro dimidiâ parte frumenti pretio. Huc accedunt crebra pænè ob oculos naufragia inter trajectum in Angliam vel in Zelandiam. Certè totum littus Aquitanicum tabulis, malis, antennis, gubernaculis, aliiſque navium ſpoliis, quæ maris furor expurgavit, refertum memorant, ut non temerè qui ſidera ſpeculantur, etiamſi nihil aliud ſit, hunc magnæ conjunctionis annum, mortalibus formidoloſum prædixerint. xix. Ianuarii, cIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XIV.

NVncii proximè ex Angliâ, deinde ex Brabantiâ huc allati, mirum in modum Reginam & totam civitatem perturbarunt, ij ſignificabant magis quam

quàm declarabant, orto inter Gallos & cives Antverpienſes diſſidio, ad internecionem Gallos cæſos. Curas ingeminabat Alenzonijs: à quo cùm nullæ eſſent litteræ, de ejus incolumitate dubitabatur. Sic aliquot dies abjerunt. demùm alij ſuper alios nuncij venerunt, qui rem quemadmodum geſta erat, retulerunt: non ita tamen plane, quin multa deſiderentur; neque omnes uno modo. Dicam quæ intellexi, & quæ mihi ad rei fidem propiùs accedere videntur. Quæ nondum novi, ſupplebo poſtea: & quæ perperam mihi narrata ſint, corrigam. Videor mihi meminiſſe ad Cęſaream Majeſtatem veſtram ſcribere, Alenzonio eſſe in animo, facto per Angliam itinere, huc venire, ut Regem viſeret, &, ut eſt credibile, de rebus & toto Statu Belgij cum eo communicaret: intereà verò qui ſuas vices obirent, relicturum Monpenſerium & Bironium. Cùm is ergò cum Bironio ageret, ut eam conditionem ſuſciperet, cœpit tergiverſari & recuſare Bironius: quòd diceret ſibi negocium futurum cum gente inquietâ & turbulentâ; neque tamen habere, quò ſe reciperet, ſi quid durius incidiſſet: non poſſe prohiberi tam frequentem Gallicam nobilitatem, quin aliquando petulantius aliquid aut contumelioſus in cives admitteret. Ex quo cives ſtatim ad arma concurſuri eſſent, atque omnibus perniciem intentaturi. Adverſus hoc commodiſſimum fore, ſi quem locum Galli in ſuâ poteſtate haberent, quò ſe reciperent

Digitized by Google

ubi tuti eſſent ab omni concitatione atque impetu populi. Ad eam rem ſibi opportuniſſimam videri arcem, quæ minimo negotio refecta, & valido firmata præſidio receptaculum præbitura eſſet. Eſſe jam in urbe magnam Gallorum frequentiam cùm nobilium, tum aliorum, à quibus nullo negotio occupari poſſe, nec fore difficile potiri unius portę civitatis, perque eam tam propinquo exercitu ſuo quantumvis copiarum in urbem introducere. Habere Alenzonium, ne tumultui interſit, magnam urbem egrediendi cauſam, ut exercitum inſpiciat, quem ipſe adduxerit, nec in reliquis ullam fore difficultatem, ſi modo Alenzonio & nobilitati, quę præſens ſit, hæc ſententia placeat. Major nobilitatis pars licentię aſſueta in eam ſententiam, quæ ipſi patrocinaretur, facile diſceſſit; integriorum traxit verecundia, ne tanto negocio metu ſe ſubtrahere videretur. Subſcripſit poſtremò omnium votis Alenzonius. Poſtridie iturus in caſtra portâ, egreditur. Sed multi ex ejus cuſtodiâ, notę audaciæ homines, ad eam rem delecti, in ponte, qui trans foſſam in agros ducit, conſiſtunt, neque Alenzonium ſequuntur. Cives qui erant in ejus pontis & portæ cuſtodiâ, Gallos monent, ut pontem liberent, vel Dominum ſequantur, vel in urbem redeant: illi obaudiunt, & nihilominus in ponte remanent; ſed durius deinceps à civibus appellati, ipſi quoque non minùs ferociter reſpondent. ſic à verbis ad manus ventum. Galli, qui pixidarij

Digitized by Google

darij erant omnes, & ad cogitatum facinus veniebant, facile civium alios occidunt, alios vulnerant, alios occidunt, alios propellunt, atque ita ponte, portâ potiuntur. His adjungunt ſe alij cùm pedites tum equites, qui ex Alenzonij comitatu vicinis locis ex compoſito ſubſtiterant, unaque omnes facto agmine in urbem irrumpunt. Ad quem tumultum excitati cives, qui in mœnibus ſtationem habebant, occurrunt ab utrâque parte portæ, in viam ſe dimittunt, & cum Gallis, qui ad portę cuſtodiam remanſerant, pugnam ineunt, cujus is fuit exitus, ut facti ſuperiores, portam, quod unum adnitebantur, clauderent. Ajunt Alenzonium mox recurriſſe & petiiſſe, ut in urbem intromitteretur, ſed ei non aliâ quàm bombardarum voce reſponſum. Intereà Galli per urbem diſcurrunt, & quamvis ex omni parte cōvenientes contra ſe civium copias vident, tamen non ſe deſerunt, neque de victoriâ deſperant, ſumptâ ab uſu armorum contra rudes & imbelles cives fiduciâ. Alii ad arcem gradum inferunt: alii de arce parùm ſolliciti domos civium invadunt, ut eas diripiant, qui paullò poſt omnes exceptis paucis, impreſſioni civium impares, temerarii inceepti morte pœnas luerunt. Ferunt Reginam ſeniorem, cùm hęc audiret, in lachrymas & in has voces prorupiſſe: Vtinam Alenzoni ante multos annos extinctus eſſes, quàm tuâ cauſâ tantum nobilitatis interiret? tantumque Regno Galliæ turbarum & moleſtię crea-

crearetur. Quin etiam ipſum Regni Statum in dubium vocas, qui cùm ſis Regni hæres, eo te dimiſeris; unde niſi magnâ molitione & periculo te recipere nō poſſis. Aiunt Guiſium Reginæ operam ſuam in reducēdo obtuliſſe, ut ſibi dentur tria millia Gallorum equitum, ſe Alenzonium undecunque repetiturum, & domum reducturum. Itaque ad eum fit nobilitatis concurſus, omniaque armorum apparatu perſtrepunt, ſed eo rem venturam non credo. Hoc Bironij conſilio, ſi modò ipſius conſilium fuit, valdè adfirmabitur eorum opinio, qui ipſum ſtrenuum quidem & benè belli peritum Ducem, cæteròquin hominem parum prudentem judicare ſoliti ſunt. Alenzonius Antverpiâ excluſus ad Cœnobium D Bernardi cum exercitu pernoctavit. Illic miſſi ſunt ei ab Antverpienſibus ejus Officiales, ſive miniſtri domeſtici, ad quos nihil illæ turbæ pertinere videbantur, & qui ſe domi continuerant. Nihil verò priùs fuit Alenzonio, quàm ut Scaldim tranſmitteret, ne ſi tempus interpoſitum eſſet, major trajiciendi facultas oboriretur. Itaque totâ eâ nocte in eo laborarunt Helvetij, ut illi pontem manibus ſtruerent: Quo opere perfecto ille trajecit ex Brabantiâ in Flandriam, venitque Teneramundam, ubi etiamnum eſſe exiſtimatur. Iam verò venit in quæſtionem, quid ei faciendum ſit, an huc revertendum cum exercitu, curâ rerum Belgicarum penitus abjectâ? an in gratiam cum Antverpienſibus

redeun-

Digitized by Google

redeundum? quod quemadmodum fieri poſſit, fide de medio ſublatâ, non perſpicio. Sed egregij ſunt, ubi animum intenderunt Galli. Hęc ſunt, quę de multis ſelecta ad Cæſaream M. V. perſcribi, haud alienum duxi. Dies & certiora; & plura adferet. In hac Tragœdiâ etiam M.[ti] V. & Archiduci Erneſto ſuæ partes, ſuus locus fuit attributus, maximè cum adhuc ignoraretur totius rei geſtæ ratio. Homines enim quidam de numero Aulicorum, qui ſe multum intelligere putabant, ita ratiocinabantur: Majeſtati Veſtræ deſponſam Regis Hiſpaniæ majorem natu filiam; Archiduci verò Erneſto minorem cum Provincijs omnibus Belgicis pro dote. Itaque multum ad eos pertinuiſſe deleri Gallos, qui erant Antverpię, atque ipſum Alenzonium inde expelli: ideò clàm cum civibus egiſſe promiſsâ impunitate & veniâ prętéritorum omnium, ſi Gallos trucidaſſent. Quin & Auriaci benevolentiam ſibi conciliaſſe, ut in hac re ſe præberet adjutorem. Hinc natum illud malum; alioquin nunquam tantum facinus Antverpienſes per ſe auſuros fuiſſe. Præſagio quodam mentis videtur prævidiſſe tumultum hunc Auriacus, qui cum ab Alenzonio in caſtra traheretur, obfirmato animo recuſavit, affectam valetudinem & cœli gravitatem excuſans. Ejus pręſentia Gallis aliquot ſaluti fuit: inter reliquos Fervacquio Satrapæ apud Alenzonium pręcipuę auctoritatis. Sed hic alio genere nunc periclitatur. Ad eum

authorem, originem ſententiæ de occupandâ arce referunt, ideoque cognitâ causâ, capitali ſupplicio in eum animadverti volunt. De reconciliatione inter Alenzonium & Antverpienſes conventurum putant, Rege auctoritatem ſuam interponente, ab eoque miſſis, qui huic negocio interſint, viris aliquot primarijs, inter quos Bellievrius & Pibracquius deſignantur. Pibracquium verò etiam Cancellarium Alenzonio deſtinant. Iam ultrò à Gallis Antverpienſes ab humanitate & prudentiâ commendantur, quòd poſtquam populi furor recidiſſet, in nullo ceſſarint officio, cùm erga captivos, tum erga eos, qui ſe domi continuerant. v. Februarij, cIↃ.IↃ.LXXXIII.

EPISTOLA XV.

NOn judicaram poſſe fieri, cùm dedi poſtremas litteras ad Cæſaream Majeſtatem Veſtram, quin mox de rebus Antverpienſibus & plura & certiora audirentur. Sed ea me ſpes fruſtrà habuit. Nam dies interea complures abierunt, cùm nullus illinc venit qui rem geſtam ad fidem commemorare poſſet, aut certè vellet. Qui venerunt (qui pauci fuerunt) omnes ab Alenzonio ad Regem miſſi venerunt, qui res mandatas referrent, & veluti dictata redderent, multoque fumo cauſam Alenzonii ſpecioſiorem reddere conarentur.

Tabella-

Digitized by Google

Tabellarius aut Mercator Antverpiâ nullus, neque enim Gallis Antverpiam, neque Antverpienſibus huc tranſire per cõfiniorũ Gubernatores liberũ fuit. Poſtremò tamẽ laxatæ cuſtodię, & merces liberatę quæ utrimque retinebantur, reſtitutumque vetus commercii jus. Sed ne ſic ferè quiſquam ancipitis itineris aleæ ſe committit. Vnus tamen tabellarius venit facto per Angliam itinere, qui nihil pręter vetera & jamdiu vulgata retulit, niſi quod cęſorum & captivorum numerum ampliorem fuiſſe ait, quàm initio nunciatum ſit. Reliqua haud plurimum differunt ab iis, quę ſuperioribus litteris meis comprehendi. Qui favent Alenzonio atque ejus exiſtimationem maximè ſalvam volunt, dicunt illum, clementem alioquin & mitem Principem, cum diutius æmulum Principem Auriacum ferre non poſſet, neque faſtuoſam ejus civitatis libertatem, moribus Gallicis inſuetam, urbe in ſuam poteſtatem redactâ, eis rebus providere: id verò cogitaſſe non magno negocio, & ſine multâ cęde conſequi. Orto enim tumultu, & magnâ multitudine Gallorum in urbem receptâ, paucis civibus primo concurſu trucidatis, reliquos perterritos de defenſione nihil cogitaturos, ſed abjectis armis ab illo in urbem regreſſo quaſvis leges, modo vivere liceret, accepturos: ſic ei facilè fore civitatem in ſuas conditiones adſtringere. Sed fugit eum ratio: neque enim tam imbelles animos civium, neque tam enervatos eorum lacertos offendit,

 quàm

Digitized by Google

quàm Gallis dictare mos eſt. Alij totum hoc facinus aliter accipiunt: ſed hæc de mente Alenzonij. De re ipſâ puto ſupervacuum ſcribere plura; nam non dubito, quin Majeſtati Veſtræ jam comperta ſint omnia, quòd in eam partem non ita fuerunt clauſa itinera. Si quid tamen deſideraretur, tria mitto ſcripta: unum ipſorum Antverpienſium, editum linguâ vernaculâ: alterum, quod ad Bodinum refertur authorem; qui ante paucos annos in lucem dedit de Repub. ea eſt epiſtola Gallicè ſcripta. Tertia eſt incerti authoris Gallici tamen, in quo non videntur ſatis ſincera. Ad Alenzonium miſſi à Rege primum Mirabellius Lauſacqui frater, deinde Bellievrius. quid futurum ſit adhuc incertúm. Sunt qui conventurum inter Alenzonium & Status putent; ſunt qui pernegent: mihi fidem ſuſpenſam tenere certum eſt, donec certius aliquid adferat tempus. Interim redierunt eorum plerique, quos ad cogendam pecuniam Rex circummiſerat. Referunt nihil poſſe ſine ſeditionis periculo obtineri. Reſpondere omnes, ſi quid Regem premeret, ſcire ſe quid ſui officij, ſed illum nullâ aliâ de cauſâ pecuniam quærere, quàm ut more ſuo juvenes aliquot intempeſtivâ liberalitate locupletet: id verò ſibi minimè videri convenire. Ac ſanè mihi narrabat vir quidam fide dignus ex ijs, qui Regis ærarium tractant, Regem ex quo redijt ex Poloniâ, ſexageſies centena millia Coronatorum, ſive ut dici-

dicimus, ſex milliones largitionibus alijſque inutilibus ſumptibus prodegiſſe. Hac ergò ſpe Regem excluſum, putant à Reginis viduis multa ablaturum, ne Iuvenibus illis interioribus amicis ſuis deſit, cujus damni proportione ſuam partem feret Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ ſoror, jamdiu pręter pactorum fidem in reliquarum ordinem coacta. Eſt in Galliâ Reginæ Frater Vaudemontij filius Gubernator Britannię, Ducem Mercurij vocant. Is cùm abeſſet, nunciatum fuit eum peſtę abſumptum. Duo à Rege illicò petierunt eam Pręfecturam, Nivernenſis & Dux Eſpernonius, is eſt ex intimis Regis amicis ferè pręcipuus. Nivernenſis tulit repulſam: hic Britannię à Rege Pręfectus dictus eſt, modo ea præfectura vacaret. Quam rem, tametſi fuit irrita, renunciato incolumi Mercurij Duce, tam indignè tulit Nivernenſis, ut ſtatim ſuis profectionem & diſceſſum ex aulà ediceret, biduoque poſt exprobatâ priùs Regi officiorum ſuorum oblivione domum ſe reciperet. Hoc factum Regis, multorum ſermone, ſed Optimatum maximè, carpitur. xx. Martij, cIↃ. IↃ. LXXXIII.

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

NVllus etjamnum venit Antverpiâ ab Alenzonio. Plerique atque ipſe Mirabellius, qui omnes exiguâ in ſpe pacificationem eſſe referunt, immenſa poſtulare Status, Dunquerkam repoſcere & Cameracum, nec ferre poſthac in comitatu aut famulatu Alenzonii quemquam, qui ſit alibi natus quàm in illis Regionibus. Rex copias tam equitum, quàm peditum regni confiniis admovet, ut ſi quâ re ſit opus, ſint in promptu. Neſcio tamen an ſic Alenzonio expeditiſſimum futurum ſit iter, cum vel in luto hærere poſſit, quod eſt his temporibus in illis locis altiſſimum. Antverpienſes interim à ſuis captivis pecuniam exigere, & pro vitâ quam eis indulſerunt pretium repetere dicuntur. Vtcumque ſit, ita videtur Alenzonius apud eos fregiſſe teſſeram, ut non facilè deinceps eum recepturi ſint: una ſpes relinquitur, Pacificator Bellievrius, cujus orationis gravitate & prudentiâ rentur mulceri poſſe iras, & concordiæ viam inveniri. Sed ut Alenzonium, fortunæ indulgentiâ inflatum, animi impotentia ex alto faſtigio præcipitem dedit, ſic ab Antverpienſibus ab inſolito ſucceſſu tumidis, fortunâque immodicè abutentibus gravior aliquis caſus metuendus videtur. XII. Aprilis, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

ETiamnum hodie incertum eſt, quò ſit evaſurum Antverpienſe negotium, aliis de eo aliter judicantibus. Ac tametſi exulceratiſſimorum animorum utrimque extant vel apertiſſima indicia, ſunt tamen qui de compoſitione deſperandum non putent, non quod ulla deinceps ſatis fida pax, aut animorum conjunctio ſperari poſſit tanto vulnere, fide lęsâ: dehortaturque Belgas ab Alenzonio tam fœdi incœpti memoria; Alenzonium contrà tam graviter vindicata perfidia ad ultionem acuente: ſed quòd utriſque expediat reconciliationem qualemcumque intervenire, & manere priſtinam ſocietatem, vel in ſpeciem ſaltem. Quid enim habent Belgæ aliud, quo reſpiciant tanto circumſtante bello, quàm Gallica auxilia? Aut quid eſt ab Alenzonii exiſtimatione, alienius quàm ſic è Brabātiâ profugiſſe? ut quarum Provinciarum ex inſperato poſſeſſionem adeptus fuerat, eandem ſua ſtultitia amiſiſſe videatur. Atque ita per omnes gentes, quæ nunc in hujus rei exitum conjectos habent oculos, tam fœdo titulo deformatum nomen ejus circumferri, multisq; famę offenſionibus, dies ipſa ſubvenit occaſione ſuppeditatâ malè admiſſum corrigendi. Quod ſi nihilominus Belgio cedendum fuerit poſtmodum, & tempus inter-

Digitized by Google

terpoſitum, & quælibet diſceſſus cauſſæ, quę multæ vel naſci vel fingi poſſunt, receſſus turpitudinem non parùm elevabunt. Ergò arbitrantur iſti, in hæc maximè conveniri poſſe, ut præteritorum omnium inducatur amneſtia, ſive oblivio; quòd ipſum tamen dicto aliquantò faciliùs eſt quàm facto. Bruxella aſſignetur Alenzonio, ubi ſuum domicilium habeat, eodem in loco ſit Conſilium Statuum è Belgis conflatum. Huc accedant aliquot vicina oppida, ad majorem ejuſdem Alenzonij ſecuritatem. Pręſidio ſint Bruxellæ M.D. Helvetii cum quingentis Gallis, Auriacus Alenzonii Locum tenens, ſive Vicarius Imperii conſtituatur. Captivi qui ſunt Antverpiæ dimittantur, ſic tamen, ut pretium ſit hoſpitibus, qui eos furori plebis ſubtraxerunt. De reliquo maneant leges in fœdere; haud ita multò ante percuſſo, dictæ. Vnus hîc hęret Fervacquius, quem obſtinatè populus Antverpienſis ad ſupplicium depoſcit, ut in ejus caput, tanquàm primi & præcipui authoris; nefarium conſilium recidat. Nam Bironius, litteris ad Reginam ſeniorem ſcriptis, omnem hujus ſtratagematis ſuſpicionem à ſe molitur. Ait ſe veniſſe ſerò, re jam deliberatâ captoque conſilio, nullas alias fuiſſe partes ſuas, quàm ut Alenzonio morem gereret, ejuſque voluntati obſequeretur. Atque illa quidem, quæ ſuprà ſcripſi de pacificatione ita differuntur à nonnullis; ſed incertum eſt quid dies ferat. Satis conſtat, cùm nuper

in

in Curiam Antverpienſem veniſſet Auriacus, reconciliationem ſuaſurus, multitudinem in forum conveniſſe, magno clamore vociferantem: Quiſquis author futurus eſſet, Gallos in urbem denuò recipiendi, eum ſe de feneſtris præcipitem daturos: quo tumultu perterritum Auriacum eâ nocte in Curiâ quieviſſe. Huc accedit vel potiſſimum argumentum incertæ pacificationis, quod ferè Antverpienſium nemo tanto jam intervallo, tametſi iter pateat, huc trajecerit; cunctis reformidantibus ſalutem ſuam Gallis credere, ſi fortaſſe ſocietas non integretur, neque de conditionibus conveniat. Hęc hactenus. Habeo idoneos authores, qui enixè contendere Regem à Lotharingo affirment, ut filiam, in ſummam ſpem natam, jam nubilem deſpondeat Apernonio. At Lotharingum à tam iniquâ conditione abhorrentem, quocunque ſe vertere, atque omnia experiri, ne in tam indignas nuptias conſentiat: eo verò confugere, ut, ſi filio ſuo Principi Lotharingo ſororis Regis Navarræ Rex nuptias conficiat, libenter ei viciſſim ſit gratificaturus. Ea eſt in ſpe magnâ ſummæ hæreditatis puella, ſi frater ſine liberis diſceſſerit, ut eſt probabile. Nam is quidem uxorem ſterilem hactenus expertus eſt, quæ eâ eſt ætate, ut eum vivendo ſuperare poſſit. In has verò nuptias non conſenſurum Navarręum credibile faciunt veteres inimicitiæ per manus traditæ Borboniorum cum Guiſianis & domo Lotharingâ: in quas ſucceſſiſſe

Digitized by Google

Navarræum non minùs quàm in Regnum, Ducem Lotharingię non fugit. Is ergò hoc ſe propugnaculo tuetur, in quo an ſatis futurum ſit firmitatis dies declarabit. Iam de Apernonio etiam dicendum eſt aliquid. Is Regis beneficio factus eſt Dux. Erat ante quinque annos, antequam Regi in intimis eſſe cœpiſſet, ſine re, ſine nomine, *la Vallette* vocabatur: bonorum ejus reditus non excedebant ut multùm CCCC. Coronatorum annuorum ſummam. Patrem habuit bello egregium; avum tabellionem ſive notarium. Nunc ipſe Dux eſt, & quidem benè locuples, quando ei Regiæ opes ſemper patent. Sed nihil ſunt ea, quæ poſſidet, præ ijs, quæ expectantur; primarium aliquod Regni officium ac dignitas, & præcipua Præfectura, qualis Britannica eſſe poteſt, ut proximè ſcripſi. Quòd ſi ad hæc uxor ſequatur, Regi tam propinqua, qualem in Galliâ nemo ſperare audeat, ne Optimatum quidem aliquis Princeps, næ ille communis felicitatis modum longè ſuperaverit, ſine natalibus tamen, ſine meritis. At ſpe & exſpectatione magnus fieri poteſt Regis judicio, ſed reliquorum non item. Invidia hæc ſit, an ejus culpa, non poſſum dicere, ſed ferè odio eſt omnibus propter ingenij faſtum & ſuperbiam: ſed eum potiſſimum Principes averſantur. Hujus veluti collega eſt, ſed priore loco, Dux modo, paulo ante Comes Ioyſius, Reginæ ſorori matrimonio vinctus, quem tamen antiquæ familiæ claritas moreſ-

que

que amabiles & ingenij indoles ſublevat. Hîc nuper factus Galliæ Admiralius, nunc verò totius Normanniæ Gubernator, deſpoliatis & ejectis tribus primariç nobilitatis viris, inter quos ea Præfectura diviſa fuit. Ergo hi duo Iuvenes ſunt, quorum amicitiâ ſe Rex beatum, & ipſius Alexandri Magni fortunam ſuperare putet. Hoc eſt, quod tota fremit & ingemiſcit Gallia. Quod ne videant, qui hactenùs primum à Rege dignitatis locum tenere ſoliti ſunt, ex aulâ profugiunt. Cęteri animum Regis ſatis admirari non poſſunt. Hoc eſt, cur ſemper indigeat, ſemper pauper ſit Rex, & nulli benè merito gratia referatur neque honos habeatur, dum iſtis cumulantur opes, & de nihilo duæ vel potiſſimæ futurę Galliæ columnę excitantur; quo nomine inter primos offenditur Alenzonius, qui ſibi in tantis, ut putat, rebus occupato malignè ſubveniri, potioremque ipſorum quàm ſui rationem apud Regem eſſe graviter & indigne fert. Hæc ideò pluribus expoſui, ut cùm uſu venturum exiſtimarem, ut horum ſępius facienda eſſet mentio, haberet C. M.tis V. informatam quandam eorum notionem, nec incognitos animo requireret. Don Antonius Rhotomagi & Dieppæ adhuc obverſatur, intentus in apparatum ſuæ claſſis, vel potius, ſi ſic licet, claſſiculę ſuæ: neque enim ea claſſis, quæ jactabatur, inſtruitur, ſed ea in quâ vix erunt quingenti milites. Supplementum ijs copijs quas ad Terzeras habet: ad hęc

Digitized by Google

multa comportabuntur, quę illorum locorum uſus atque neceſſitas exigit. 11. Maij. cIↄ. Iↄ. LXXXIII.

EPISTOLA XVIII.

REcentes quidam ab Alenzonio, in bonâ ſpe reconciliationis negocium eſſe nunciant. Ad cujus rei fidem conditiones, quę ſunt cum his litteris conjunctæ proferunt. Bruxellam recuſat Alenzonius, Dunquerkam mavult domicilij ſedem. Vbi eò venerit, putant trajecturum in Galliam, ut Regis aures multis & moleſtis querelis oneret, quod ei Iuvenum quorundam amplificatio magis curæ ſit, quam ratio graviſſimorum negotiorum. Auriacus quondam Admiralli Colignæi filiam, Tilignij viduam, ad ſe Antverpiam evocavit, ut eam ducat uxorem; ipſe filiam ſuam, Comitis Burani neptem, Lavallio Dandelotij Colignæi pręfati fratris filio elocat, quem urbi Antverpienſi præfuturum dicunt. Rex novum ſodalitium inſtituit eorum, qui Flagellantes ſeu Pœnitentes vocantur. Quà de re multus eſt per totam civitatem ſermo, eoque magis, quòd cùm proximè concionator quidam celeberrimus multis dicterijs, tametſi benè Catholicus, pro ſuggeſtu ſodalitium iſtud inceſſeret, eum Rex urbe migrare juſſerit. Sed & quod riſu dignum eſt, ſervi nobilitatis à pedibus, quorum hic maximus numerus eſt, cùm illius ſo-

dalitij

dalitij in ipſâ regiâ quædam per jocum & laſciviam ęmularentur, Regis juſſu abrepti ferè ad octoginta in coquinam, atque ibidem flagris ad ſatietatem cæſi, haud fictum ſimulacrum flagellatorum & pœnitentium retulerunt xx. Maij, cIↄ. Iↄ. LXXXIII.

EPISTOLA XIX.

CReſcit rumor, de quo attigi nuper, novarum turbarum, neque, quod peſſimum eſt, ſatis conſtat, an conſcio & participe Alenzonio. Itaque Mater jamdiu ad eum profecta fuiſſet Caleſium, niſi eum morbus, quem Gallicum vulgo ferunt, Dunquerkę teneret, cum Medicis & Chirurgis rationem habentem: quo ſimul ſe extricaverit, Caleſium trajecturum arbitrantur; de quibus dies certiora. Nam alij in Normanniam iturum, alij navigaturum in Britanniam contendunt. Si bellum erit, perquàm incommodè eveniet Regi, cùm à pecuniâ, tum à reliquis rebus ſatis imparato. Redijt Antverpiâ Bellievrius, qui inde pacata omnia nunciat, rebus utrimque redditis & compoſitis, quæ mutuę benevolentię impedimento eſſe poterant. Sic etiam dimiſſi captivi, inter quos Fervacquius, quem ad ſe reverſum Alenzonius ſex millium coronatorum annuorum Abbatiâ donavit; egregiam operam, & pręclara ejus conſilia ita compenſans. Quòd cùm Reginę ſeniori referre-

ferretur, teneri non potuit, quin ſtolidum & dementem Alenzonium ſubinde exclamarit. Bironii litterę in ſuppellectili Alenzonii Antverpiæ inventæ ſunt, quas pridie illius diei Gallis nefaſti & feralis ſcripſerat, in quibus Alenzonium à tam perverſo conſilio deterrere conabatur, quæ res magnam Bironio civium Antverpienſium caritatem conciliavit, ut nihil nunc apud eos illo ſit gratioſius, in quem ferè anteà facinoris ejus major invidiæ pars derivabatur. Pibracquius nuper ad Alenzonium profectus, ab eo Antverpiam ad illos Status ablegatus eſt, quem quidem in eâ causâ plus incommodaturum puto, quàm multa armatorum millia. Endhovia Brabantiæ oppidulum conditionibus redijt in poteſtatem Regis, fruſtrà propugnante Bonivetto. Bironius è contrà minuta aliquot caſtella recepit. Parmenſem ajunt ſe comparare ad obſidionem Aloſti, paullatim Bruxellæ imminentem 1. Iunij, cIↄ. Iↄ. LXXXIII.

EPISTOLA XX.

REx tanto cum ardore ſuam Religionem complectitur, ut multis ſermonem & admirationem præbeat, & ſint qui poſtremò Regnum cũ Monachatu mutaturum credant. Certè Regina ſenior pertęſa neglectum multarum rerum, quę ſunt muneris Regij,

gii, graviter Emundum Ieſuitam quendam, quem Rex authorem potiſſimum ſequitur, increpuiſſe dicitur, quod ſibi filium ex Rege penè Monachum reddidiſſet, magno cum Regni totius detrimento. Res interim ſtrenuè turbatur in Aquitaniâ & in Provinciâ Narbonenſi; quâ de causâ Ferrerum (quo diu apud Venetos Oratore uſus eſt) notę prudentiæ ſenem ad Regem Navarræ ablegavit. Regina Senior magno impetu ferebatur Caleſium, ut conveniret Alenzonium, niſi ipſe per litteras prohibuiſſet: admonens hunc congreſſum futurum Statibus Belgicis ſuſpectum, ac proinde rebus ſuis incommodum. Hanc ille quidem cauſam obtendit: ſed plerique eas litteras ex ſententiâ authorũ tragœdię Antverpienſis ſcriptas opinantur, Reginę convitium & reprohenſionem, & fortè etiam mutationem aliquam metuentium. Fuit hîc nuper cum Reginâ ſeniore Don Antonius, Dieppâ & Rhotomago propter peſtem profugus; inde tranſivit ad pagum propinquum, Ruel vocât ubi vivit in amœnis ędibus, quarum uſum Alenzonij beneficio conſecutus eſt. Conſtat illius familia ſexaginta admodum hominibus, in cujus victum ſingulis diebus quarta bovis pàrs, duæ pecudes, unus vitulus, & centum quinquaginta panes inſumuntur.

Nemo ambigit, quin jam Auriacus non diſſimularentur Hollandiam pro Comite poſſideat. Fliſſingam Zelandię urbem ęre ſuo ſibi emiſit: itaque clauſtra atque adi-

aditum à mari provinciarum iſtarum inferiorum tenet. Sic in tantâ reliquorum ruinâ & ſtragi uni Auriaco res benè geſta eſt. Rex iter parat Meſerias, inde ad caſtellum, quod vocant Fallenbroye, deflexurus, ut potione aquæ Spadenſis valetudini ſubveniat: commendatâ interim Reginæ ſeniori, & ſuo Conſilio Regni adminiſtratione. Totâ ferè æſtate abfuturus exiſtimatur: metuo ut diu ſit ſuperſtes. Parmenſis cùm multum fluctuatus eſſet ſuſpenſis omnibus, quàm poſtremum in partem impetum daret, demùm Cameracum dicitur obſediſſe, longinquum incœptum, neque ſatis certi exitus: quòd ſi tamen ei procedat, magnum ad ſummam rerum momentum futurum ſit. Idem Parmenſis oppidum Dieſt recepiſſe dicitur: ſed & Bruxellæ videntur ad eum inclinare. Peſtis hîc denuò timeri cœpit, quę quidem & Lutetię, & in alijs multis Galliæ locis non levia indicia ſui dedit. xxv. Iunij cIɔ.Iɔ. LXXXIII.

EPISTOLA XXI.

FVit ad Regem Regina ſenior, à quo conventu recurrit Bononiam urbem maritimam in congreſſum Alenzonij aſcito ſibi Comite Mareſchallo Rhetſio. Ipſe Alenzonius militem denuò ſcribit, quem, ut opinor, Cameraco ſubſidium mittat. Non leve damnum Status & Bironius acceperant ad Vrbem Bergas, pluri-

Digitized by Google

plurimis de ſuis militibus deſideratis. Vulneratus Bironius, vix Bergarum mœnibus ſalutem ſuam tutatus eſt. Namurcenſis Gubernator Regem inviſit nomine Principis Parmenſis. Venit & à Caſimiro, qui tranſitum per Galliam peteret, nuncius quidam, quem de rebus Colonienſibus ad Reginam Anglię miſſurus eſſet. Pontifex per Nuncium magnopere contendit apud Regem, ut decreta Concilij Tridentini recipiat, & per Regnum promulganda curet, ſed parum videtur profecturus, non tam Rege privilegium & libertatem Eccleſiæ Gallicanæ defendente, quàm ſuſpectantibus multis id agi, ut in Galliam Inquiſitio introducatur. Cujus rei invidia manifeſtum novarum turbarum periculum oſtendit. Quà de cauſsà Regem alioquin à Pontificijs poſtulatis haud averſum, negant eis daturum locum ut cui ſit in animo, quoad ejus fieri poſſit, novos motus & bellum inteſtinum declinare. Ejuſdem votum erat præficere Metis Ducem Apernonium, ſed eum moratur Pręfectus arcis, qui ſe negat poſſeſſionem ejus cuiquam ceſſurum, niſi prius diutinę militiæ & navatę Regi per multos annos fideliter operę pręmia ſibi ſolvantur. Rex etiam eò impenſius mihi videtur in ijs locis hęrere, quod forte vicinitate Colonię, & turbarū illarum occaſione ad res quaſdam ſibi oportunas abuti cogitet. Inde deductà ad balneas Borbonenſes uxore, Lugdunum excurſurus eſt, neque huc ante ęſtatis exitum reverſurus.

 Reditus

Reditus Ducis Ioyſij eſt in exſpectatione, qui cum ſplendido comitatu tranſcendit in Italiam, voti ſolvendi causâ, quod in morbo uxoris conceperat, ſi eo liberaretur, Divæ Virginis Lauretanæ ſe delubrum aditurum. In eo itinere in Vrbem quoque acceſſit, ut Pontificem veneraretur, & fortaſſe arcaniora quædam Regis mandata ei ederet. Non eſt Auriaco apud Antverpienſes ea fides atque caritas, quæ ſolebat, ut cui id modò curæ eſſe videatur, ut illud Regnum ſuum Hollandicum ſtabiliat, non ſatis habitâ reliquarum Provinciarum incolumitatis ratione. Bruxellę quoque turbatum aliquid fuiſſe nunciant: quà de re per hominem certum comperta exſpecto. Interea Deum oro, ut C. M. tem V. integrâ ſanitate impertiat, cui ego me humillimè commendo. III. Iulij, cIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXII.

REginæ Seniori per Picardiam Bononiam properanti occurrit ad Feram Alenzonius; tempeſtiuè quidem ille Dunquerkâ elapſus: nam mox ab ejus diſceſſu Parmenſis miles oppidum obſidione cinxit, tam appoſitè, ut qui ab Alenzonio relicti erant, diu ſuſtinere non poſſent, deditionemque non tamen inhoneſtis conditionibus facere cogerentur. Sic ille ubi pedem ponat in Belgio, non habet, præterquam Cameraci

meraci: quod tamen ipſum valde laborat, diſpoſitiſque circumcirca prę́ſidijs & ſtationibus rerum neceſſariarũ inopiâ premitur. Sed Alenzonius cum auxilijs imminet, coactâ bonâ militum manu, vinoque & frumento per Picardiam ad Divi Quintini fanum contracto, quo civitatis illius fami ſubveniat. Incertùm, quò res caſura ſit. Qui expectabantur Antverpiâ Legati ad confirmationem reconciliatæ gratiæ, non venerunt: itaque perquàm iratus illis Statibus in Galliam remigravit Alenzonius, Antverpiæ dicitur eſſe Bironius: unam pecuniæ vocem identidem ingeminans, ſed audit nemo: neque enim quicquam ab illis civibus ſine ſeditionis periculo videtur poſſe extorqueri, adeò tę́det toties malè impẽſæ pecuniæ. Contra pugnat, quòd poteſt Auriacus; ſed ejus gratia poſt tragœdiam illam Antverpienſem valdè refrixit, ſuſpectuſque evaſit pleriſque, ut rei privatæ ſuę quàm publicæ ſtudioſior. Sunt, qui eum in Zelandiam trajeciſſe dicant, ne quod ibi gravius damnum acciperetur, atque ut rebus provideat neceſſarijs. Dunquerkę caſum ſequuta ſunt ejus tractus oppida, Neoportus, Sanctus Winocus atque alia nonnulla, ut ne de Brugis & Ipris deſperetur. Sic res Belgicæ haud peſſimè ſe habent. Ac neſcio ſi quis commodè eas inſinuet, an pacis conditiones à pleriſque admittantur. Exſpectabam è Brabantiâ, per quem de rebus illis omnibus edocerer, ſed vereor, ne captâ Dunquerkâ, non jam ita libero ad

Digitized by Google

navigandum, ut antè, mari, ejus tardiorem reditum faciat. Erat hîc quidam ob dexteritatem in Regijs mandatis & litteris perferendis notiſſimus, neque enim erat quiſquam cui Rex magis fideret, aut cui rectiùs cõmitti putaret. Hunc miſerat ad Ducẽ Ioyſiũ trans Alpes, cum litteris ſuâ manu ſcriptis benè prolixis, duorum quippe foliorum. Sed cùm eſſet non multùm progreſſus, incidit in quatuor equites, qui iter ejus obſervabant, qui multis vulneribus confoſſo litteras Regis abſtulerunt, ex quo non pauca ſecretiora adverſarijs patefacta arbitrantur. Rex quidem, an eâ, an aliâ de cauſâ, mihi incertum, ſtatim huc revolavit; neque euntem ad balneas Borbonenſes uxorem, ut propoſuerat, comitatus eſt. Sed tamen paucis diebus ad illas balneas, ad illam revertetur, inde Lugdunum petiturus. Quid verò ibi acturus ſit conjiciunt multi, ſciunt pauci: ſic tamen mihi perſuaderi patior, eum ex propinquo tentaturum, num Montmorancium Languedoccæ Præfecturâ dejicere, atque in ejus poſſeſſionem Ducem Ioyſium, aut quem alium de ſuis interioribus illis amicis, imponere poſſit: nam Duci quidem Ioyſio totius Normanniæ Præfecturâ, Alenzonio ipſi negatâ, pulcherrimè proviſum eſt, ſed dies fortaſſis non longiſsima de his rebus certiora aperiet. Hîc omnium ſermone increbuit, eas naves, quas Don Antonius ad Terzeras denuò miſit ſub Duce Malrenſi Equite, quem Monſieur de Chartres vocant, Ioyſij Ducis,

Digitized by Google

ci, ſive Admirallii conſanguineo, eò incolumes perveniſſe. Servivit Cæſ. M.ti V. pro nobili puero quidam, quem vocant S. Hilaire: eum nunc audio militare in Hungariâ: deceſſit ei natu maximus frater, cui ipſe, nî fallor, proximus hæres eſt; ſed plures ſunt fratres, periculumq́ue eſt, ne, ſi abſente eo hæreditas dividatur, ille debitam ſibi partem non ferat, neque ſine detrimento ejus fiat. Quâ de cauſsâ domum revocandum putarunt, qui ſunt ei amici, mecumq́ue egerunt, ut ad Cæſ. M.tem V. ſcriberem, eiq́ue ſupplicarem, ut eum cum bonâ veniâ dimitteret, ſicuti facio. Erit Cęſ. M.tis V. clementiâ dignum, libenter ei commeatum dare, quo negotijs domeſticis cōſulere & providere poſſit. Peſtis hîc denuo multis in locis graſſatur ad miraculum uſque, tenentibus cœlum ventis, vel Auſtralibus, vel Occidentalibus. De libris illis Græcis, ut C.M.tas V. clementer velit eſſe memor, humillimè etjam atque etjam ſupplico. Fuit hîc quidam ex illuſtri familiâ, quem vocabant le Baron de Vitrean, qui pervenerat in ora hominum, magnumq́ue nomen ſibi quæſiverat, nobilium aliquot inimicorum non minore audaciâ quàm ſucceſſu patratâ cęde. Sed unius illorum filius vindicandę paternæ necis cupidus, & quod patefactis inſidiis, quas nuper Baroni ſtruxerat, neceſſitatem ſibi impoſitam videret pereundi, niſi pręveniſſet, ſtatuit ſimpliciter agere. Ergo die Dominico ſuperiore Baronem ad certamen evocat in

campum Luteti§ vicinum: ubi cum ſingulis modò pueris, & quodam nobili, communi utriuſque amico; quo arbitro, & veluti campi magiſtro uterentur, ſoli enſe & pugione conjuncti, ſine ullis pręterea armis rem gererent, inimicitiaſque alterutrius morte finirent. Non repudiavit conditionem Baro, hoſtemque initio congreſſus trajecto brachio proſtravit, ſed jacentem ferire noluit, juſſitque ſurgere; quòd officium magno ei conſtitit. Nihil enim vulnere deterritus adverſarius, ſed potiùs pudore caſus accenſus, tantâ arte, tantoque impetu ferrum in Baronem direxit, ut ei medium cor tranſverberaret; quo ille ictu moribundus in terram corruit: jacenti plagas complures hoſtis inflixit, ſic ejus ſtultitiam caſtigans, quòd inimico armato peperciſſet. Ad quem effectum ut perveniret, jam aliquot annos uni arti gladiatoriæ ſtuduerat, tametſi annum vigeſimum primum vix excederet. Talem exitum ſortitus eſt ille Baro, qui diu in Galliâ tanquàm Mars alter eſt habitus, quem ipſe etiam Rex aliquando expaviſſe dicitur. Sic & Montenellus, ſic & Buſius factis dignum exitum invenerunt.

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.

Victor ex duobus vulneribus non ſine periculo decumbit; alterò, ut dixi, in brachio; altero in femore. Qui ſi ex hoc caſu evaſerit, tamen manet eum adhuc certamen, cum quodam cæſi Baronis propinquo, periculoſiſſimo

tiſſimo mortis ejus vindice. Hoc totum tametſi non valdè ad rem pertineret, tamen nihil obfuturum putavi, ſi adſcripſiſſem. Lutetię, x. Auguſti, cIↄ.Iↄ.LXXXIII.

EPISTOLA XXIII.

NVnquam fuit tam novi ferax Africa, quin eam hodiè Gallia ſuperet. Nondum hic requieverant aures à ſermonibus, quos excitaverat cædes illius Baronis, de quo nuper; cum ſubitò aliud natum eſt, quod non minus admirationis & ſermonis præberet. Rex ſororem ſuam, Reginam Navarræ, palàm multis audientibus graviter increpuit, quod vitam degeret turpem, & flagitijs contaminatam: commemòrat memoritur mœchorum introductiones, quibus illa conſueviſſet; etiam puerum ſine mariti operâ natum objectavit, eaque omnia ſuis temporibus, & reliquis rebus ita notata, ut ipſe interfuiſſe videretur, & Reginam ea magis confiteri puderet, quàm confutare poſſet. Finis orationis fuit, ut eam ſtatim Lutetiâ migrare juberet, urbemque ſuâ contagione liberare. Sic illa, collectis raptim ſarcinis, die ſequenti non modo ſine ullo proſequentium officio, ſed ſine juſto etiam famulitio Lutetiâ exceſſit. Vendoſmium mariti ditionis oppidum petere exiſtimatur, Nobiles duæ fœminæ ejus familiæ capita, ex itinere retractę, & in cuſtodiam datę ſunt: neque

Digitized by Google

que eo contentus Rex, ad Regem Navarræ litteras ſcripſit, per quas de his rebus omnibus eum doceret quibus ſi fidem is habuerit, uxoremque non accipiat, ajunt Regi in animo eſſe illam in arcem inacceſſam condere, ubi nec vitæ licentiâ, nec pravis conſilijs cuiquam obſit. Enimverò metus eſt, ſi ad maritum redeat, eique ſe purgaverit, ne plurimùm concordię & publicæ tranquillitati noceat. Nam neque voluntas, neque malitia ei deeſt, & abundat ingenio. Ab illo Regis cum ſorore congreſſu Chanvallonius quidam in Germaniam profugit. Fuerat hîc aliquamdiu valdè acceptus Alenzonio ſed cùm eſſet compertus, ſcripſiſſe quędam Antverpiâ in hanc aulam, quæ ſcripta nollet Alenzonius, gratiâ ejus exciderat: iuſſuſque fuerat ejus comitatu abſiſtere. Ita ille huc reverſus receptum habuit ad præfatam Reginam: quam rem adeò ægrè tuliſſe Alenzonium ferũt, ut ab eo omnem amorem abijceret. Chanvallonius iuvenis eſt dubiæ nobilitatis, ſuavitate morum, ætatis flore & formę venuſtate pręſtans, habitus inter primos ejus Reginæ procos, Etiam Reginam ſeniorem filiæ ob hujuſmodi intemperantiam infeſtiſſimam factam dicunt. Vt ut ſit, illa, ut ſcripſi Lutetiâ migravit, identidem vſurpans, nihil ſe & Reginâ Scotię vivere miſerius: ſibi quidem exiguâ portione veneni ſuccurri poſſe, ſi ſit qui ſuggerat, ſed ſe nec amicum habere, nec inimicum. Hæc fabula nunc Galliam pervagatur, quæ haud ſcio,

an

Digitized by Google

ſan C. M.tis V. auribus haud ſatis digna ſit, & operæ prętium fuit eam peculiaribus litteris perſequi. Quod ut impenſiùs facerem, me nuncii opportunitas, & neceſſarię ad Reginam ſcribendi cauſſæ adduxerunt; nam ſanè præterea vix erat, quod ſcriberem. Regina ſenior ad Alenzonium Ferâ reverſa eſt, Rex ipſe Lugdunum profectus, majori, ut videri volunt, ex parte, ut ſuo Duci Ioyſio ex Italiâ redeũti occurrat. Fama eſt Alenzonium ducturum uxorem neptem ex ſorore, filiam Ducis Lotharingiæ; Sororem Regis Navarrę deſtinari Duci Sabaudię. Sed hæc apud me plus adhuc habent admirationis quàm fidei. Curſus victoriæ Parmẽſis in Flandriâ conſtitit ad Oſtendam, quę prętidio ab Auriaco miſſo deditionem facere recuſavit. Ipræ amiſſæ, Dixmudę valdè laborare dicuntur; nam Brugenſes evocato, quod erat Meninis, præſidio urbem ſuam, parum alioquin tutam firmarunt. Meninæ pręſidio vacuę direptioni & prædæ relictę ſunt. XXVII. Auguſti, CIↃ.IↃ.LXXXIII.

EPISTOLA XXIV.

REdijt tandem is, quem è Belgio expectari dixi, nec quicquam refert præterquam illorum populorum miram inſaniam, diſcordes cives, diſſidentes inter ſe civitates; nulloque conſilij exitu, quò ferat libido, ruentes. Commune tamen omnium Gallici no-

Digitized by Google

minis odium eſſe, gentem à facinore Antverpienſi penè deteſtabilem haberi, cui odio mutuâ benevolentiâ reſpondere Gallos. Ergo & Bironium & ſuos omnes remigraſſe in Galliam: cumque non ſuppeterent naves ſingulorum equis transportandis, multos circumjecto ſtramine equos ſuos cremaſſe, multos confodiſſe, aut ſuccisis poplitibus inutiles reliquiſſe. Viatores quoque Belgas paſſim à Gallis excipi & ſpoliari; hæc fieri in gratiam beneficiorum apud eos acceptorum dictitantibus. Ex quo ſatis apparet, quam non ſit tuta diſſimilium ſocietas, quamvis ſub multa amicitiæ ſimulatione & fuco lateat, quamque item facilè recrudeſcant, inveterata nationum odia. Cameraci dicunt eſſe pro Præfecto, nomine iſtius Regis, Regalliardum, equitatus Regij in finibus Picardiæ Ducem nam ejus urbis poſſeſſionem ceſſiſſe Regi Alenzonium, ad quem Bironius nunc ſuum iter habet. Cujus quidem Alenzonij, ut videtur, conſilium eſt, ut quàm valido pręſidio Cameraci impoſito vicina aliqua loca recipiat; Hannonienſium & Artheſianorum civitates crebris expeditionibus vexet; atque ita Brabantis, cęteriſque, quos ſibi infenſos novit, oſtendat, quantum in ſe pręſidij fuiſſet, quantumque eis prodeſſe potuiſſet, ſi ſe amico uti perſeveraſſent. Hanc enim aut aliam viam nullam eſſe, alienatos eorum animos recuperandi: cujus rei eò maiorem facultatem habet quòd Rex eum ſummum Vicarium, ſive Locum tenen-
tem

Digitized by Google

tem deſignaſſe dicatur:ita tamen circumcisâ poteſtate, ut neque pecunias imperare poſſit,neque pro ſuo arbitratu abuti Regis ęrario.Sed tamen tantum eſt, ut dixi, Belgarum in Gallos odium, ut propter eorum ſtudiorum adfectum ipſemet Auriacus peſſimè audiat, neque ejus ea ſit authoritas quæ ſolebat, ne apud Hollandos quidem & Zelandos,â quibus parum abſuiſſe exiſtimatum ſit, quin Comes & Dominus declararetur. Nunc verò non modò,liberas,verùm etjam acerbas & contumelioſas eorum voces ſæpè auribus haurire cogitur. Nec deſunt, qui inſimulare audent in illâ Antverpienſi tragœdiâ conſenſiſſe cum Alenzonio,ejusque conſiliorum fuiſſe participem. Itaque penè ad modum privati hominis otioſus Fliſſingæ deſidet; niſi quòd neſcio cujus domus ſuę negotijs vacat, ſic exſpectans dum iſtius invidię tempeſtas prętereat: quemadmodum ferè mobile vulgus eſt,nec ſecundæ, nec adverſæ voluntatis retinens. Non adfirmo,quod dicturus ſum,quamquam fere ſunt rumores,quos ji diſſipant,quibus ſunt adverſi, quique veros eſſe nollent.Totâ Galliâ percrebuit denuò ad Terzeras malè pugnatum, amiſſam claſſem, Gallos omnes conciſos,Luſitanos remo & triremibus reſervatos,Navarchum teneri captivum. Quæ ſi vera ſunt, ut non ſunt veri diſſimilia, magno Gallis hoſpitia Luſitanica conſtant.Inter cætera mandata,quę Duci Ioyſio in Italiam proficiſcenti Rex dederat, illud vel præcipuum
 fuit,

fuit,ut impetraret à Pontifice facultatem vendendi bona Eccleſiaſtica ad aliquot centena millia coronatorum,in quo nihil potuiſſe efficere Ioyſium renunciant. Ita hìc Regem ſua exſpectatio fruſtrata eſt, ut & nuper cùm viros primarios per Galliam circummiſit, qui pecuniam conficerent; quorum ſimiliter inanis labor fuit. Cùm Rex huc redierit,de ratione eruendæ pecuniæ, argentiq́ue inventione primos conventus futuros puto. Plebi quidem hîc penè ad reſtim res rediit, tot & tantis exactionibus tributisq́ue malè excipitur. xv. Septemb. cIↄ. Iↄ. LXXXII.

EPISTOLA XXV.

PAuca ſunt quæ ſcribam, nimirum eſſe Cameraci Alenzonium, rerum multarum penuriâ laborantem, ſed potiſſimum, quod ad rem attinet, pecuniâ. Hannoniæ oppidulum eſt ſatis munitum Queſnoyū, quod ejus Duces furtim intercipere conati, cùm multâ cęde & ſuorum jacturâ repulſi fuerunt. Aldegundius & Iunius quidam,Superioris Comitis Palatini,dum vixit, Secretarius, Cameracum veniſſe dicuntur, tamquam à Statibus Legati: ut cum Alenzonio de concordiâ, & reconciliatione agant. Sed agant & reconcilient, ut volent, non videntur id ſecundâ voluntate populi facturi, apud quem nihil eſt nomine Gallico invidioſius,

Digitized by Google

ſius. Ipræ obſidio caſtellis aliquot excitatis continuatur; quamquam à Brugenſi præſidio, neſcio quid damni illatum obſidentibus memoratur. Quo tempore Alenzonium quoque adfuturum exiſtimant. Regis reditum arbitror remoraturam peſtem, quæ pluſquam mediocriter ſævit Lutetiæ. Nova quędam religio populos iſtos inceſſit, conſurgût urbis alicujus atque incolæ agri, promiſcuæ ætatis atque ordinis, catervatimque, in modum ſupplicationes habentium, duorum aut trium dierum itinere peregrinantur ad templa religionis opinione clara: ferè veſtibus albis linteis amicti, cruceſque ligneas gerentes in manibus. Hujus rei initium quidam ad prodigia referunt, quorum novitate territi hac ceremoniâ Deum placandi, malaque quæ portenderentur averruncanda duxerint. Alij fieri putant in gratiam Regis, ut illi Deus prolem impertiatur VI. Octobris CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXVI.

Scribitur mihi à C. M.tis V. Cameræ Conſiliariis libros quos ejus Bibliothecæ, ſuperſtite etiamnum Divę memoriæ Imperatore Maximiliano ante annos, ni fallor, ſeptem addixeram, & conſecraveram, mille florenis æſtimatos. Quam ſummam ſi eâ C. M.ti V. viſum eſt munus remunerari, ſanè ampliſsimam duco, & C. M.ti V. eo nomine humillimè, magnam ha-

beo gratiam. Sed ſi ea, ut pretium ęſtimatę mercis, pro tot & talibus libris M. ^tis V. Bibliothecæ propter canitiem perpetuo ornamento, & authoritati futuris rependitur & imputatur, facere non poſſum, quin eam iuſto pretio longè inferiorem ponam: quod pro dignitate librorum, & eâ, quâ ſemper eos colui, obſervantiâ reticendum non putavi, nam mihi certum eſt, quamcumque C. M. ^tis V. boni conſulere. IX. Octobris, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXVII.

TAndem Rex huc reverſus eſt: urbem Lutetiam inire propter peſtem non placuit. Commodiſſimum viſum eſt, divertere ad fanum Divi Germani Layorum. Primò, ut eò ventum eſt rei primariæ cura fuit convocare quos alias ſcripſi conquirendæ pecunię circa Galliæ populos & civitates miſſos. Hi ſunt omnes viri primarij: quid egerint illi, quidque reſponſi tulerint, Regi renunciabunt. Quippe unam vocem fuiſſe populorum omnium, tantum eſſe oneris, ut potiùs demendum ſit aliquid ex vetere, quàm novi imponendi locus: alioquin ferri ultrà non poſſe. Hinc cauſſa naſcetur Regi eorum ſententias explorandi, quâ potiſſimùm ratione pecunia, quâ quoquo modò inventâ opus ſit, erui poſſit. Incertum eſt, quò inclinent, niſi quod

Digitized by Google

quod non deſunt, qui putent hoc munus ordini Eccleſiaſtico delatum iri. Rex videtur per Ducem Ioyſium agi voluiſſe apud Pontificem, ut denuo bonorum Eccleſiaſticorum ad aliquot centena coronatorum millia venditionem fieri permitteret, ſed quacunque de cauſa nihil eſſe effectum. Iam iſti cujuſmodicunque conventus D. Germani ad exitum perducti eſſent, niſi Cameraco ad caſtellum Theodorici, quod vocant, ſex ab hinc milliaribus veniſſet Alenzonius; capto circuitu ad Andes ſuos feſtinans, ut ibi hybernet, ad quem eſt profecta mater, ut ſi fieri poſſit, in aulam ipſum perducat, ut eis, quos dixi, conventibus interſit. Sed incertum eſt etjam quid ille faciat. Nam ille quidem iratus eſt ſuo more, tamquam ſibi in maximis rebus verſanti parùm ſubventum ſit; Rexque potiorem alieniſſimorum hominum, quàm ejus rationem duxerit. Cæterùm Cameraci neque ſecuritati, neque annonæ ſatis proviſum eſt. Caſtelli Cambreſij expugnationem tentavit Bironius, ſed nimis feliciter. ſupervenit Parmenſis, ut parum abfuerit, quin major clades acciperetur, & Bironius trepidè ſe reciperet, tormenta tamen bellica in tutum reducta. Belgici rebelles Status Middelburgi convenerant, ut de rebus communibus, quod eſſet ex uſu, ſtatuerent. Auriaci factio inſtabat, ut rediretur in gratiam cum Alenzonio, ſed frequenter ab alijs reclamatum eſt, ſatis ſe recenti caſu monitos, quàm nihil

Gallis

Digitized by Google

Gallis credendum ſit, affirmantibus. Fuerunt qui Regem Daniç optarent, nonnulli Caſimirum nominarunt ſuffragante Reginâ Angliç, ſed diſceſſum eſt nullâ re confectâ. xxix. Octob. cIↄ. Iↄ. LXXXIII.

EPISTOLA XXVIII.

ALenzonius ſe recepit Laudunum, eò Regina mater ad eum profecta eſt, quid fuerit in cauſsâ, non ſatis ſcio; niſi ut fortaſſe propiùs adeſſet Cameraco, ubi magnoperè tumultuatum eſſe conſtat, & aut captam urbem conjuratione quorumdam civium & vicinorum præfectorum, aut certè propè fuiſſe, ut caperetur, arce tamen Gallis ſalvâ. II. Novemb. cIↄ. Iↄ. LXXXIII.

EPISTOLA XXIX.

REdiit ab Alenzonio Regina ſenior itineris labore fruſtrà ſuſcepto: neque enim is in aulam ſe trahi paſſus eſt. Sed neque Rex ejus abſentiam valde iniquo fert animo. Regina Navarrç pervenit ad virum, à quo ſatis comiter fuit accepta; vivit tamen ab eo ſejuncta, donec de flagitij, cujus inſimulatur, veritate cōſtiterit.

Digitized by Google

ſtiterit. Eâ de cauſsâ miſſus ad Navarrum Bellievrius, ut palinodiam Regis nomine canat, ac rem inter eos componat. Regem accuſatum, quòd per iracundiam ſuomet ſanguini notam impoſuiſſet, pœnituiſſe ferunt: purgare nunc ſe, quòd quorundam verbis fidem temerè habuiſſet. Sed poſtulat Navarrus, ut ſi deliquit uxor, merito ſupplicio afficiatur; ſin falsò ſit delata, & criminis expers ſit, authores calumnię pœnam ferant. Satis conſtat Regem exacerbatum cæde ejus tabellarii, quem ad Ducem Ioyſium miſſum aliàs ſcripſi, (quam non ſine conſcientiâ Sororis perpetratam ſuſpicabatur) eò irarum proceſſiſſe. Qui ejus mulieris ingenium norunt, valdè ſe falli dicunt, niſi illa talem ignominiam aliquando inſigniter ultura ſit. De tumultu Cameracenſi, quòd adjeci poſtremis litteris meis, inde natum fuit, quòd in eâ urbe viſus fuerat Dominus de Goigny, vicini loci Regis Pręfectus, quem nonniſi de civium voluntate in eâ urbe verſari interpretabantur: inſcienter quidem illi, quod poſteà res indicavit. Nam ideo Cameracum venerat, ut conveniret Alenzonium, ad quem etjam huc acceſſit; ac neſcio an etjamnum apud eum ſit. Cauſſa adventus ejus fuit, ſpes injecta recipiendi per pactionem Cameraci, Alenzonio ingenti pecuniæ ſummâ Regis Catholici nomine promiſſa. Poſſe uero eam actionem non abire inanē, credibile facit multum apud Alenzonium naufraga, & à rebus omnibus nuda nobilitas, cui perquàm commo-

Digitized by Google

da eſſet hujuſmodi tranſactio; quòd ex eâ cujuſque eſuriei & inopiæ paratum eſſet remedium. Sed hoc negotium tam in aulâ Regis, quam per totam Galliam magnâ laborat infamiâ, ut quo nullâ re melius Gallica levitas exprimi poſſit, & ſcripſiſſe de eâ re, & monuiſſe fratrem Rex dicitur. Species quidem negotio quæritur ex mutuâ utriuſque partis captivorum liberatione, nihilominùs novam parari à Statibus Brabantię legationem, brevique adventuram quidam putant, quæ de reconciliatione cum Alenzonio agat. Quo illi adduci videntur rebus geſtis Parmenſis, qui pleraque omnia quæ ſunt pręter Gandavum & Antverpiam occupavit; ſed illi aggeres maritimos paſſim aperuerunt, ut & ipſi maris inundatione tutiores eſſent, eâque partem Parmenſi redderent inutilem. Secundo loco decurſuri exiſtimantur ad hoc novæ legationis conſilium, ut quibus propoſitum ſit extrema quęque potiùs ſubire & pati quàm redire ſub vetus imperium. Auriacum certè à Zelandis & Hollandis in Ducem brevi creatum iri nunciatur. Pigagliardus Cameraco exceſſit, arci & præſidio præeſt Balagnius ita animatus, ut ejus poſſeſſione vix etjam ipſo jubente Alenzonio cuiquam ceſſurus videatur. Alenzonius mutato conſilio non creditur abiturus longiùs, neque in Andes, ut dicebatur, hyematum conceſſurus, ſed manſurus ubi nunc eſt ad caſtellum Theodorici, *Chaſteau Thiery* vulgò vocant. Ita rediit è Belgio malè acceptus,

acceptus, ut locus ubi maximè latere poſſit, ei ſit optatiſſimus. Rex interim ſuos habet conventus, quorum vix finis erit ante duos menſes, non enim de pecuniâ cudendâ tantùm agitur, verùm omnia ſub incudem revocantur, quæcumque toto regno pravè aut cum inſigni populi detrimento adminiſtrantur, ea mutare in melius pro novæ vitæ ſanctimoniâ, quam profitetur, propoſitum habet. In quibus tamen probabile eſt, eò plerumque rem recaſuram, ut prima ſit ejus utilitatis ratio. Exempli cauſsâ, Reges Galliæ uſurpant ſibi jus conferendorum beneficiorum Eccleſiaſticorum; itaque pueros, milites & mulieres videre eſt Epiſcopos & Abbates. Diſputatum in primis fuit, an melius eſſet, rem in antiquum ſtatum reſtitui, ut electioni res permitteretur. Sed decretum fuit, quandoquidem non eſſet, quæ fuit antiquitùs electionis integritas, ſed tota eſſet depravata; non videri cauſſam, cur Rex tanto jure quæſito ſpoliaretur; ſed præſtare rem relinqui, ut eſſet, cum eo, ut Rex in cōferendo bonorum & idoneorum virorum rationem duceret. Ita fortaſſe fiet de pleriſque aliis, ut poſtquàm populi utilitas, & onerum, quibus premitur, alleviatio multis & magnificis verbis jactata fuerit; poſtremò tamen Regis vincat utilitas: qui quidem legem veſtiariam, quam nuper tulit, arctè obſervandum curat. Nam, cum ea Lutetiæ, ut fere fit in ejuſmodi legibus, poſt aliquot dies negligeretur, ipſe ſuum, ut vocant aulæ Præ-

Digitized by Google

voſtum eò miſit, qui compingeret in carcerem, quotquot deprehendiſſet contra legem venire: ducti multi, quà viri, quà mulieres, quæ res ingentem in eo populo tumultum excitavit, ut minimùm abeſſet à ſeditione. Quid enim ita ſe per Prævoſtum tamquam latrones aut prædones arripi? habere ſe ſuos Iudices & Prætores, per quos caſtigari, ſi quod ſecus admiſſum eſſet, ſolerent: niſi abſiſteret, ſe ei funeſtum illud officium facturos; & proximè minis effectus aberat. De quo factus certior Rex per Vrbis Prætores, qui eum adierant, primùm graviter eos increpuit, quòd per negligentiam leges ſalutares obliterari paterentur: eâ re ſe coactum aliâ ratione obviam ire. Deinde Luteriam feſtinavit, rectaque ad carcerem profectus, eâ de cauſsâ captos omnes dimiſit, ſolutâ de ſuo carceris cuſtodi pro ſingulis quę ſolet mercede. Ab eo tempore legi vis addita. Cardinalis Biragius diem obiit, octagenario, ni fallor, major. Eum aula, ſuo uſa ingenio, quem vivum non amaverat, defunctum magnifico funere extulit. Nomen habebat Gallię Cancellarii, ſed officiū adminiſtrabat alter. Vir fuit æquitatis amans, ideoque Chriſtianiſſimæ Reginæ Cęſ. M^{us} V. Sororis fautor & amicus: cui ſucceſſit moribus voluntate, & inſtituto diſſimillimus. Vrbem Geldriæ Zutphen ab Hiſpano interceptam accipere molitur Auriacus. Comitem Geldrenſem ſuſpectum communicatorum cum Parmenſi conſiliorum unà cum liberis captivum in Zelandiam

Digitized by Google

diam abduci fama eſt. Gandavi quoque detecta per Embiſium, qui aliquamdiu in ditione Palatini exulavit, Optimatum aliquot contra præſentem urbis ſtatum cõſpiratio in magnum omnes conjecit periculum: inter quos & Rhivius, qui fuit Conſtantinopoli Orator. Châpagneo certè, qui potiſſimus auctor & Architectus ejus conſpirationis fuit, certum videtur exitium allatura. IV. Decembris, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXX.

A Meis poſtremis litteris nihil accidit memoratu, quod ſciam valde dignum, niſi quod deprehenſi ſunt quidam apud Alenzonium cum telis, veluti locati & parati ad aliquod facinus. Quæ res magnam injecit Alenzonio ſuſpicionem exiſtimanti aliquid cõtra ſe initum conſilij, & ſibi ſubmiſſos alicunde percuſſores. Tandem poſt ſedulam inquiſitionem compertũ eſt, non ei factas inſidias, ſed Fervacquio, idque machinatione cujuſdam ab acceptâ injuriâ ei ex profeſſo hoſtis. Regina ſenior ad Alenzonium denuò profecta eſt, cùm aliis de cauſis, tum ut ſuſpicionem, ſi qua in eo hæſit deleat. Ad eundem Alenzonium deſignati dicuntur ab omnibus fere Statibus Belgii rebellibus Oratores, prȩterquam à Flandris, quibus receptio Alenzonii

probari adhuc non potuit. Præfatis Oratoribus venturis octodecim torques aurei apud Alenzonium conflantur. Hollandi autem jam juraſſe, aut brevi juraturi in verba Auriaci exiſtimantur. Ita tamen, ut ſupremi Imperii honos Alenzonio relinquatur. Auriaco priùs omnia deficient, quàm continuandorum motuum, & novorum conſiliorum facultas. Summus ejus adminiſter & conſiliarius Aldegundus factus eſt Antverpiæ Burgimagiſter. Multis etjamnum annis nullum mihi videor videre otium, nullam pacem in Belgio. Multùm quidem profecit Parmenſis, ſed non minus fortaſſis negotii reſtat quàm confectum ſit. E Vaſconibus Aquitaniſque parum tranquillæ res nunciantur, locis utrimque interceptis, quæ per arma repetuntur. Ego Cæſ. M.ti V. hunc annum & alios quam-plurimos proſperos cedere opto, & precor, cui me humillimè commendo. IX Ianuarii, cIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXXI.

REx urget inſtitutum ſanctioris, & in melius converſę vitæ. Putabatur acturus Lutetiæ dies iſtos geniales, qui ſub quadrageſimam actitari ſolent, ut conſueverat. Solebat enim dicere, niſi per eos dies Lutetiæ eſſet, ſe ſibi viſum iri etjamnum eſſe in Polonia;

pro-

Digitized by Google

propter affluentem ejus urbis omne genus voluptatum & deliciarum copiam, præſertim certarum mulierum, quibus aſſueverat. Sed nunc migrare Divo Germano non placet, ubi vita ſolitudini propior. Interim conventus moribus corrigendis Statuiſque Regni emendando inſtitutus, continuatur, in quo multa ſalutaria quotidie ſanciuntur. quale illud eſt. Nihil eſt huic Regno gravius multitudine officiorum, quibus Rex illud onerat, dum ſibi pecuniam conflat. Illa nunc bonâ ex parte reſcinduntur, abolenturq́ue. Habebat, verbi gratiâ, Rex ad cẽtum quinquaginta miniſtros cubicularios: exauthorati expunctiq́ue nunc omnes, pręter ſedecim, aut, ut quidã, viginti quatuor. Sic factum iri putant de cęteris, cum magno compendio & allevamento populi, cujus id totum humeris incumbebat: quod tamen non fiet ſine privatorum querelâ, qui hujuſmodi officia pręſenti pecuniâ ſuâ redemerunt. Quibus tametſi ratio inibitur ut ſatisfiat, non tamen fieri poterit ſine incommodo & inſigni jacturâ. Intereà non abeſt ſuſpicio belli inteſtini renaſcentis: & ſunt qui contendant jam à Navarræo miſſum in Germaniam ad conducendum equitem. Regi certè miles conſcribitur. Reginam Nauarrę putant aut rediiſſe in gratiam cum marito, aut certè brevi redituram, maximè operâ & interventu cujuſdam Pernantij Lotharingi, pręcipui novę Religionis propugnatoris. Sunt etiam apud Alenzonium Oratores Belgici, ampliora

pliora mandata à ſuis civitatibus exſpectantes. Alenzonius urget, ut à fratre Regni vicarius conſtituatur, eâdem cum poteſtate, quam is habuit ſub Rege & fratre Carolo, quæ ſanè fuit ampliſſima; ſed recuſat Rex. Itaque parùm inter eos conventurum videtur. qua ex diſſenſione diſcordiæ, ſi bellum erit, etjam graviora timent. Quotidie hùc transfugiunt ex Angliâ conjurationis illius in caput Reginæ factæ participes. Comitis cujuſdam Nortfolkii eadem de cauſsâ in carcerem illic dati exitium extra controverſiam habetur, ſed non item Comitis Arundelii, in quem Reginæ clementia propenſior videtur. Sed nec Regina Scotiæ omnium, ut arguitur, conſcia magno periculo vacat. Oratorem quidem Regis Catholici, cui hæc conſpiratio magnâ ex parte refertur accepta, migrare Angliâ juſſum dicunt. Sunt qui eum Oratorem hàc iter in Hiſpaniam habiturum putent. XII. Februarii, CIƆ.IƆ.LXXXIII.

Reginæ ſenioris febris diuturnior aliquantò quàm ſperabatur, Regem à fano D. Germani huc revocavit XV. eiuſdem.

EPI-

EPISTOLA XXXII.

MAtrem ęgrotantem inviſit Alenzonius fuitque apud eam aliquot diebus antequam ſe Regi proderet. Poſtremò ejus, ut opinor, monitis ad Regem acceſſit ſalutatum, tantâ cum reverentiâ & ſubmiſſione, ut diu genu penè terram contingeret. A Rege ſublevatus, ſermonis initium fecit, ut Regem veniam oraret eorum, quæ contra eum ſecus admiſiſſet. Reſpōdit Rex, nullâ opus eſſe veniâ, ſcire quidem opinionibus ſe de quibuſdam diſſentire, in quibus uter rectius ſentiat ſe ad arbitrium matris referre, paratum ſtaturumque eo, quod illa judicaſſet. Ajunt, datum Alenzonio conſilium ut ſi Regem in partes trahere, & motibus Belgicis permiſcere vellet, daret operam, ut ſibi Ioyſium & Apernonium, alios Regis oculos, conciliaret; eorum ſtudio atque operâ quovis impelli Regem poſſe: quod conſilium videtur amplexurus. Ajunt Oratores Brabantię & Flandrię (nam & hi venerunt) facere poteſtatem Alenzonio imponendorum quibuſcũque in Vrbibus prę ſidiorum, duabus exceptis Antverpiâ & Gandavo. Iidem Oratores venerunt Lutetiam, Regi ſuam cauſſam probaturi. Alenzonius paucos dies cum Rege moratus ſe recepit ad caſtellum Theodorici, unde venerat, reverſurus huc

Digitized by Google

ante ſolemne Paſchatis. Exeuntem tota aula magno ſtrepitu ſequuta eſt, ſed præcipuè Ioyſius & Apernonius dimiſſique ſunt ab eo cum multis magnæ benevolentię notis. Rex videtur ſuę tutelę Cameracum facturus, eoque neſcio quas copias, nomine tamen Alenzonii, tranſmiſſurus. In ore omnium eſt bellum contra Danvillam, quem nunc Ducem Montmorancium vocant. Is eſt Gubernator Provinciæ, quàm Languedoccã dicunt. Pręfecturæ hujuſmodi nullis terminis definiri, ſed vitę æquales eſſe ſolent. Succeſſor non datur niſi rebellibus aut Majeſtatis convictis. Regi fixum eſt ei Provincię præficere Ioyſii patrem; ſed Montmorancius non videtur ejus poſſeſſione cuiquam ceſſurus, niſi ex eâ pedibus trahatur. Dedit Rex operam, ut à Parlamentorum ſuorum Conſiliariis cauſſa cognoſceretur, Montmoranciusque contumax & rebellis judicaretur. Ajunt poſt Paſcha ſumptum iri hoc bellum, Legatum Regis fore Alenzonium, quò teſtatius ſit ejus erga Regem obſequium. Res ea in magnâ exſpectatione eſt: magnę ſunt illo tractu Montmorancii vires, multiplex ſocietas & confœderatio, multi ejus ruinâ ad ſuum exitium viam muniri ſuſpicabuntur. Nuper parum abfuit, quin Rex in Concilio quiddam admitteret Regiæ clementiæ non ſatis conſentaneum. Erat in eo Concilio eques Maltenſis, Priorem Campaniæ vocant, vir ingenio turbido, & non ſatis circumſpecto; cumque Rex neſcio quâ de re,

gravissi-

Digitized by Google

gravíſſimâ tamen, ſeduló differeret, eiq́ue Prior iſte refragaretur, eò dilapſus eſt, ut his verbis uteretur : Si verum, Rex, velles dicere, meminiſti, &c. Quibus verbis, ut in ſuam contumeliam prolatis, Rex vehementer excanduit. Et quid, inquit, egone tibi mentiri videor? citò, procumbe in genua & veniam precare. Quòd cùm eſſet ab illo factum, Rex quidem illi veniam dedit, ſed cũ hac conditione, ut ſtatim abiret è conſpectu ſuo. Quòd cùm ille cunctantius faceret, aut aliquid obloqueretur, ſic ira Regi referbuit, ut educto gladio eum transfixurus fuerit, nî retentus ab iis, qui aderant. Epiſcopus quidem Pariſienſis adhuc vulneratam gerit manum, dum eam nudam in gladii aciem injicit. Sic ferè Rex in Concilio facinus pœnitentiam profitente indignum commiſiſſet: deprecantibus multis Rex ei ignovit, ita tamen ut abſiſtat aulâ neque unquam ſe det in ſuum conſpectum. Quod quidem non eſt ſupplicii parum homini in aulá educato, & qui nullam alibi quàm in aulâ felicitatem novit. Don Bernardinus ille de Mendoça, conſcius, ut fertur, & particeps tragœdię Anglicanæ venit Lutetiam, ubi neſcio cujus rei à Rege Catholico reſponſum exſpectat. Sunt, qui ambire legationem iſtam arbitrentur. xx. Maii, cIↄ. Iↄ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXIII.

ALenzonius reverſus ad Caſtellum Theodorici, in gravem morbum incidit, quo cum magno vitæ periculo ęgrotavit. Hinc fabula vulgò orta, propinatum venenum: ei tamen nunc melius factum dicitur. Sunt qui propter copioſum ſanguinis vomitum, pulmonis vitium eſſe ſuſpicentur. Mater ad eum inviſendum profecta, etjam nunc abeſt. XXIV. Maii. CIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXIV.

CVm Flandri ſe nihil apud Alenzonium proficere viderent, neque ſpem relinqui in Gallicis auxiliis, domum reverſi aliter ſibi conſulere, & de reconciliatione cum Parmenſi agere cœperunt. Comiter accepti ab eo illorum Legati, & cum muneribus dimiſſi eademque ratione habiti à Gandavenſibus, quos eò viciſſim Parmenſis miſit. Sic ejus negotii exitus in exſpectatione eſt. Antverpienſibus alia mens eſt, omnia potiùs perferendi quàm redeundi ſub antiquum jugum: itaque ſortem cum Hollandis & Zelandis communicare,

Digitized by Google

care, eundemque quem illi rerum ſuarum exitum exſpectare conſtituerunt, cum quibus ſe fœdere & ſocietate junxerunt:quod eorum conſilium reliquias laboris portendit.Si quidem illi populi,ſi qui hodie,valent opibus,undique muniti ſunt, & habent in ſuâ manu clauſtra maris.Nam reliqua quidem Brabantiæ oppida unà cum Flandris, permittentibus etjam Antverpienſibus, quò eo onere liberentur, ad veterem Regis Catholici obedientiam reverſura exiſtimantur, exceptis vnis Bergis,quas in ſuam tutelam acceperunt Hollandi.Alenzonio verò alia nunc quàm rerum Belgicarum cura, quæ propria ad ipſum pertinet.Siquidem rumor eſt conſtãs eum phtyſi, quę jam ad hecticen inclinat laborare. Quòd ſi eſt verum,ut omnes adfirmant,longum ei vitę tempus ſupereſſe non poteſt.Sic quamvis iniquis Valeſiis,proximi erunt iſtius Regni hæredes Borbonii,Cardinalis inprimis,deinde Navarræus.Reginam quidem Seniorem ex animi egritudine, valetudine adverſâ adflictari,quidam dicunt; nam hinc aliquantò longiùs ruri agit. Bellum quod erat in ore omnium adversùs Danuillam. Rex videtur depoſuiſſe;nam teſtificatus eſt vulgato edicto ſibi nihil tam cordi eſſe;quàm pacem; moveret ſe nemo,ſed communi quieti omnes conſulerent. Quod Regis edictum qui ſunt adverſę factionis in contrarium rapiunt, tanquam certiſſimum belli ſignum: ita eum ſolitum ajunt præſtigia ſibi effingere, quoties

 ad.

adverſus eos bellum pararetur. Rectè illi an ſecùs tempus aperiet, x. Aprilis, cIↄ. Iↄ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXV.

ALenzonii ſalus pro deploratâ habetur. Quinimò fama percrebuerat his diebus, illum inter mortales eſſe deſiiſſe; nec dies modo nominabatur xxv. hujus menſis, verùm etjam hora, utpotè x. noctis, quâ migraſſe ex hac vitâ dicebatur. Iacuerat per aliquot horas ſine ullo motu, ut extinctus judicaretur, posteà rediit ad ſe, & etjamnum vivit, ſi vivere eſt ſingulis momentis ſine ſpe vitæ mortem exſpectare. Inviſit eum Regius Archiatrus, qui reverſus Reginam Seniorem bonâ ſpe implevit. Cæterùm ſeorſim dixit amicis, non arbitrari ſe totâ hac lunâ illum ſuperfuturum. Erit quod volet Deus; qui M.tem V. ſervet incolumem, cui ego me humillimè commendo. xxix. April. cIↄ. Iↄ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXVI.

NOn dubia habetur Gandavi Brugarum & Oſtēdæ cum Parmenſi compoſitio. Ac jam quidem in ſummo templo Gandavi more Romano ſacra

cra celebrari ajunt; idem fieri Brugis in tribus templis: una ejus oræ Sluſa non diſcedit à fœdere, quod ei intercedit cum Fliſſingenſibus. Brevi hujus cõpoſitionis leges in lucem exituras putant. III. Maij. cIↄ.Iↄ.LXXXII.

EPISTOLA XXXVII.

ALenzonius etjamnum latet affixus cubiculo, vel potiùs lecto, nec ulli ſe præbet videndum præterquam uni aut alteri, qui ei benè volunt, benè quoque ſperare jubent, ſed qui ſunt ſine ſtudio, deſperatam ejus ſalutem putant: nec deſunt, qui jam mortuum arbitrentur, ſed diſſimulari. quorsùm evadat exſpectatio, totam Galliam ſuſpenſam tenet, nec immeritò; nulla enim hodie res eſt, quę magis interſit ad iſtius Regni ſtatum. Rex jam aliquandiu ab uxore alieniorem ſe prębet: cauſſam ejus rei putant æmulationem inter fratrem Reginæ, quem Ducem Mercurii vocãt, & Ducem Ioyſium, qui ſororem ejus habet in matrimonio. Hunc Rex cum ampliſſimâ poteſtate conſtituit Admirallium maris, Britanniæq́ue prępfecit Ducem Mercurii. Is in ſuæ Præfecturę partibus ſui juris debere eſſe putat collationem officiorum & munerum: contrà Ioyſius: de quo Rex certior factus graviter increpuit Ducem Mercurii, ab eoq́ue tempore viſus eſt adverſus uxorem iniquior; ut cujus fiduciâ & conſcientiâ crederet pervicaciorem

elatiorem-

elatioremque præbere ſe Ducem Mercurii. Hinc injeſta quibuſdam ſuſpicio Regem divortium cum uxore meditari tanquam ſterili, cùm Regni ſtatus, ſi unquam, uxoris fœcunditatem deſideret. Miſſus in Aquitaniam cum ingenti & ſplendido comitatu Dux Apernonius magnam præbet ſermonibus & conjecturis materiam; nam iſtius itineris arcani uix unus atque alter, præter Regem, conſcii habentur. Ipſe quoque Rex brevi Lugdunum meditari dicitur, haud dubiè non levi de cauſà, ſed quam nemo fideliùs, neque certiùs aperuerit, quàm tempus. v. Iunii, cIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXVIII.

LEtalem fuiſſe Alenzonii morbum, mors indicauit. Conceſſit fato die hujus menſis decimo, eodem penè tempore & momento, quo ſuperioribus annis frater ejus Carolus, eodem certè morbo, nimirum è pulmonis ulcere, quemadmodum Cæſ. M^tas V. ex ipſius Regis litteris intellexerit. Quorundam judicium eſt publico magis bono ſublatum, quàm natū, hominem obnoxium pravis futilium miniſtrorum conſiliis, qui adulatores à veris amicis non diſcerneret; & qui magnam famam adfectaret, ſed quamcumque potiùs quàm bonam, facilem ſuſcipiendis actionibus,

ſed

ſed faciliorem diſponendis. Ergo omnis vita ejus inconſtans, mobilis inquieta, miſcendis perturbandisque benè compoſitis rebus dedita portendebatur. Hunc mater non ficto dolore luget: in reliquorum lachrymis plus eſt fortaſſis ambitionis & ſimultatis quàm veri. Parari ajunt funus magnificum, luctum tamen intra ferias D. Ioannis proximas incluſum iri. Cadaver exſpectatur Lutetiæ. Rex veſtem lugubrem atram præter morem induit, cùm anteà violacei coloris veſtitu lugere Regibus mos fuerit. Hunc caſum magnę mutationis hujus Regni cauſſam fore, ſunt qui conjiciunt; nec temerè, ut opinor. Nam ita animatæ videntur præcipuæ hujus Regni Provinciæ & civitates, ut non facile Regem accepturę ſint; qui cum eis in Religione non conſentiat. Quibus ad motus & tumultum non defuturi ſunt Duces, cum ipſi Provinciarum Præſides, tum alii, quæ quibuſdam tam certa tamque exitioſa videntur, ut iam de migrando è Galliâ cogitent Rex quidem Navarræum omni honore complectitur. Donavit eum Ducatu Alenzonii, & in litteris eum honeſtat titulo, quo proximi Regni hęredes honeſtari ſolent. Ad hæc inventa eſt ratio, quâ intercepto Alenzonio, nihilominus miſeriæ Belgii continuentur. Ajunt enim teſtamento legaſſe matri Cameracum: accedet fortaſſis, quicquid ſibi uſurpavit in Belgio, totaque illa actio. Hoc omne mater Navarręo ceſſura exiſtimatur. Sic illi, quod volet, in Bel-

gio liberum erit, ſine ullâ Regis Catholici de iſto Rege querelâ. Hæret interim in lateribus Artheſii & Hannoniæ acerba peſtis. Cameracenſe præſidium longè latèque incendiis & rapinâ populatur. Brugenſes præſidium Regium acceperunt. Gandavenſes Auriacenſe, ſed ea fuit pabuli inopia, ut mox equitatus eâ urbe excedere & abire coactus ſit. Quare quidam ſuſpicantur Gandavenſes abjectam compoſitionis cum Parmenſi actionem repetituros, vel metu appropinquantis recentis militis Hiſpani. XVIII. Iunii, cIɔ.Iɔ.LXXXIV.

EPISTOLA XXXIX.

FEriis D. Ioannis & duobus diebus ſequentibus juſta perſoluta ſunt Alenzonio: quo in negotio nihil præcipuum annotatum, niſi quòd in oratione funebri nulla rerum in Belgio geſtarum facta ſit mentio, neque ullius illarum Provinciarum inſignia pompæ illata. Teſtamentum Alenzonii, cujuſmodi circumfertur, his litteris adjunxi. Ducem Apernonium venientem ad ſe. Rex Navarræ perquàm comiter & honorificè complexus eſt: quæ res lætitiæ fuit iſti Regi. Vxor tamen Navarræi eum ad ſe admittere noluit. Idem Apernonius per Provinciam Narbonenſem Lugdunum petere exiſtimatur; quo loco Rex ei occurſurus ſit. Mareſchallus Rhetſius

verſatur

verſatur in Picardiâ,ubi arces atque oppida, quæ eo indigere videntur, pręſidiis firmat, adverſus ſubitas impreſſiones,& in quemcumque eventum.Multus pedes, multus eques paſſim locatur: eo amplius, ut ego interpretor,ut ſi Cameracum obſidione premi contingat.nõ longè petendum,ſed ad manus ſit ſubſidium.Hollandi, Zelandique claſſem inſtituerunt, quâ prohibeant, ne quid alicundè commeatus in oram Belgii, quæ ſuę factionis non ſit,importetur: quæ res fortaſſe nonnihil cariorem annonam faciet.x.Iunii,CIↃ.IↃ.LXXXIV.

EPISTOLA XL.

CErtum eſt Auriacum ictu minoris ſclopeti interfectum: percuſſorem captum, & tormentis admotum nihil extorqueri ex ſe paſſum eſſe, quo authore tantum facinus perpetraſſet, tantum ſuâ manu ſcriptum reliquiſſe, eò adductum ſe ſtudio liberandarum illarum Provinciarum tali Tyranno.Venerunt huc Oratores ex Belgio, credo ut Regem in ſuas partes protraherent,ſed haud commodum ab eo reſponſum abſtulerunt.Nunc ſollicitant Reginam Seniorem,à quâ quoque ſi rejiciantur,Regis Navarræ & Borboniorum opem imploraturi videntur.Illo Antverpienſium munimentum Parmenſis obſidione premit, & ter tentatâ

expugnatione, oppugnantes magnâ cum cęde repulſi. Rex iter Lugdunum verſus ingreſſus eſt,eâ maximè, ut putant, de cauſsâ,ut in locum præſentis Prȩfecti Lugdunenſis,ſubſtituatur Apernonius Ioyſiive pater. Rex Navarræum invitat delato ei Regni vicariatu. Guiſii dominationem cogitant. Aliquis videtur eſſe rerum timor, nec certum qualium;niſi quòd hoc optimè tempus declaraverit.Cameracenſes Mareſchallus Rhetzius in verba Reginę Senioris adegiſſe jurejurando dicitur. XXIII. Iulii,cIↃ.IↃ.LXXXIV.

EPISTOLA XLI.

VNum in præſens ſe mihi offert, quod ſcriptione dignum ſit,Oratores Belgicos magnâ vi niti, ut in ſuas partes Regem protrahant. Valdè favet eorum cauſſæ Regina Senior;itaque Regem ipſum nõnihil commouiſſe dicuntur. Remiſſus ex iis unus, cum eo ſimul ille, qui Alenzonio, dum viveret, Antverpiæ pro Oratore operam navavit.Hos commodum ad illos Status à Rege reſponſum ferre ajunt; cõſilium, operam, favorem,auxilia liberaliter promittente:nam ei Status è contra immodica, & pene dictu incredibilia offerunt Res eſt magnę exſpectationis: ſunt quidam, qui vehementer claſſicum canunt. Quid enim exſpectare Re-

gem

Digitized by Google

gem,aut quod oportunius tempus habiturum bellum, quod intra paucos annos neceſſarium ſit futurum? cur eum non præſumere, cùm tanta occaſio, tanta utilitas oſtendatur?Stultè optari,quod haberi poſſit. Eſto:nunquam Gallis ex animo credent Belgæ, neque ſe eis ſubjicient;parumne videtur eos à veteris domini obedientiâ abſtraxiſſe?vivant aliquâ ex parte liberi,ne ſint planè dediti Gallis,dummodò vivant hoſtes infeſtiſſimi Hiſpanis. Exiguam profectò plagam Regis Catholici rebus inflixiſſe videri non poteſt,qui tot ab eo Provincias abalienauerit,licet non planè ſibi ſubdiderit. Nemini verò, bono judicio prędito, obſcurum, quin Hiſpani, cupida regnandi natio, ubi ſe paululum confirmarint, nequaquàm in tantâ potentiâ quieturi, ſed reliquæ ditionis Chriſtianæ Imperium affectaturi ſint. Quantum autem ſupereſt præ eo,quod jam adepti ſunt? hic nullā deinceps libertatem, nullam reliquorum Principum aut Rerum-publicarum dignitatem fore. Vnius gentis Hiſpanicę omnium rerum erit arbitrium, quo nihil miſerius,neque indignius.Maturè ergo tantę ruinę occurrendum,antequàm coaleſcant vires. Non eſſe dubium,quin omnes Reges,Principes & civitates, quibus ſua ſalus aut dignitas cara ſit, libenter arma conſocient: & ad commune reſtinguendum incendium concurrāt. Neque hęc non ęquis auribus accipi puto, ſed unum mortis Regis Catholici tempus exſpectari: eam videri

Digitized by Google

ſummam miſcendis rebus oportunitatem. Ab Lillò Parmenſis ad Termondam caſtra tranſtulit, multis, ut narrant, ſuorum deſideratis. Calolum tamen caſtellum retinet, unde non parùm pręter vehentibus navigiis incommodi infertur. Termondę non difficilem expugnationem ſperant, ex clusâ ejus majori pręſidii parte. Mareſchallus Rhetzius eſt ad D. Quintini fanum, unde ſummoperè conatur perſuadere Balignio, qui eſt Cameraci, ut eâ Præfecturâ Regi, quemque Rex volet imponere, cedat. Balignius autem ejus loci civibus propter dominatus impotentiam, magno eſt odio, nec de effectu deſperatur. Spectatur jam Rhetzii in hujuſmodi actionibus dexteritas & prudentia. Lutetiæ XVIII. Auguſti, cIɔ. Iɔ. LXXXIV.

EPISTOLA XLII.

VIx eſt quod ſcribam, tametſi me ad ſcribendum tempus & officium vocent. Rex nullâ quod ſciam, re memorabili confectâ Lugduno rediit. Fuit hîc aliquamdiu in ſuburbanâ arce, quam *le Bois de Vincennes* vocant, ubi templum Hieronymitanum cõſtruit, ſibi ſuęque Pœnitentium ſocietati: mores interim & flagitia caſtigás, præſertim eorum qui pecuniam publicam, ſive fiſci, ſive ærarii ſubverterunt, quorum ple-

Digitized by Google

plena eſt Gallia; nec parcit in his, ne ſummâ quidem dignitate præditis: itaque multi profugiunt metu. Ab his irrupturus in Concilia, quæ Parlamenta vocant, exiſtimatur iuriſque & iudiciorum rationem ab illis repetiturus; nam & hanc nationem valde corruptam, & medecinæ indigentem arbitrantur. Regnant in Galliâ, non minùs fere quàm ipſe Rex, juſque habent quæſtui, aut dant gratię. Cardinalis Borbonius tametſi decrepitus, non videtur ſatis æquo animo Navarræo fratris filio iuri ſucceſſionis Regni cedere. Eâ re ad partes Guiſianas valde inclinat, quorum apud multos præcipua eſt authoritas & gratia. Quinimò nuper dictitatum fuit, eum ſacris & Cardinalatu repudiatis, ducturum uxorem Mõpenſerij viduam, Ducis Guiſij ſororem, manetque etiamnum ea fama. Mareſchallus Rhetzius non diſcedit à Picardiâ, ubi quæ munitionibus deſunt, explenda curat, & loca pleraque pręſidijs firmat. Nam Reginæ Seniori nihil videtur deliberatius, quàm Cameraci poſſeſſionem continuare: ob id & miles Prætorianus eò miſſus. Ipſa Regina ad Ligurim abeſt, circumque ea loca vagatur, congreſſum, ut rumor eſt, cum Rege Navarręo captans; ſed is non videtur eo facile adduci, quod à Regis Reginæque inſidijs ſibi cavendum putet. De uxoris adventu non deſperatur. Illuc & ipſe Rex profectus eſt, aliquamdiu manſurus, niſi vetaret eadem peſtilentia, quæ eum Lutetiâ arcet. Hic adhuc incertum

eſt

eſt,quo ſe applicet. Res in Belgio Regi Catholico procedunt ex ſententiâ. Recepti in gratiam Gandavenſes iis,ut dicunt, legibus, ut ducenta coronatorum millia ſolvant; templa reſtituant; pro unâ geminam arcem habeant; ſex capita quę poſtulentur tradant. Sed & Bruxellenſes de deditione agitant: propter hęc nihilominùs non dimittit animos Antverpia. Sed nec Hollandi,neque Zelandi de inceptis quicquam diminuunt. Venit ab illis Regi nę Senioris Orator, jactat ampliſſimas conditiones, quibus eos cum Rege depaciſci paratos adfirmat. Non eſt extra dubitationem, quid futurum ſit. Intereà Deus optimus Maximus C.M.tem V. conſervet, cui ego me humillimè commendo. IV. Octobris, CIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XLIII.

NOn modò ſperatus de die in diem Sanceri diſceſſus, longius fecit litterarum mearum intervallum, verùm etjam quòd nihil haberem ſcriptione dignum. Rex luſtratis diverſis Regionibus,ubi ſe à peſte tutum fore crederet, poſtremò Bleſii conſtiterat. Sed & illinc eum peſtis ejecit, abreptâ de Gynecæo uxoris nobilium puellarum unâ. Sic poſtremò recepit ſe ad fanum D. Germani Layorum, eo in loco cœptam

mo-

morum & inſtitutorum cenſuram peracturus. Vidi eum Bleſii, apud eum Reginasque, matrem & uxorem, dolorem & luctum Chriſtianiſſimæ M.tis V. Sororis ex morte Alenzonii teſtatus. Fuit aliquis rumor novorum motuum Galliç Narbonenſis, ſed ii videntur conſediſſe. Don Bernardinus ille de Mendoça, qui ex Angliâ in Hiſpaniam, huc reverſus eſt; primùm ut luctum Domini ſui de morte Alenzonii teſtificaretur : deinde ut amoto Taxio Oratorem ageret. Taxius in Belgium ſe recepit, inde in Hiſpaniam profecturus. Si boni Oratoris eſt, magnum ſumptum facere, non facilè reperiretur hoc Don Bernardino melior: nam ajunt illi eſſe in animo ad ſedecim millia coronatorum quotannis in ſuam legationem inſumere; utinam reliqua conſentiant, nullâque re Taxio inferior ſit. Dux Apernonius Regis ferè alter peſſimo ſtrumç ſive ſcrophulæ genere laborat, cui medendo, contactu dextræ Reges Gallici facultatem profitentur: cujus virtutis experiundç magna nunc Regi occaſio datur. Atque hæc ſcribo, quòd nihil haberem quod ſcribam aliud, omnia enim congelaſſe videntur; quo majores fortaſſe ſequenti vere motus exſpectandi. x. Decembris, cIↃ.IↃ.LXXXIV.

Digitized by Google

EPISTOLA XLIV.

DEnuò adſunt à rebellibus Statibus è Belgio Oratores cum ampliſſimis, ut ajunt, mandatis, Regem, ſi poſſint, ad ſuam tutelam traducturi. Quid futurum ſit, mihi non ſatis liquet. Regi quidem belli ſuaſores non deſunt. Antverpia interim gravi obſidione urgeri dicitur, penè intercepto fluminis ſive ęſtuarii uſu. xv. Decemb. cIↄ. Iↄ. LXXXIV.

EPISTOLA XLV.

ADſunt denuò à rebellibus Belgii Statibus frequentes Oratores, cum ampliſſimis mandatis & ingentibus promiſſis. Duodecim oppida deferunt Regi, modò ipſi in tutelam & fidem recipiantur, in quibus oppidis ſummum ſit ei jus & poteſtas. Pollicentur in ſumptum belli in ſingulos menſes centum millia coronatorum: ex quibus quinquaginta ſumpturi ſint à Reginâ Angliæ, quinquaginta ipſi præſtabunt. De quibus rebus exſpectatur Orator Anglicus, cum magno & ſplendido comitatu. Adventui obtenduntur inſignia ordinis ejus Regni, quæ per eum huic Regi mittuntur.

Intereà

Intereà juſſi ſubſiſtere in propinquo oppido Oratores Belgici, nihilominus tamen cum Rege per ſcripta & codicillos agunt. Sumptus eis à publico ſuppeditantur. Facilem & expeditam viam ad victoriam Regi promittunt, ſi commeatu adverſarios prohibeat; neque ex ſuo Regno quicquam exportari patiatur. Si id fiat, nullum intra annum in Belgio hoſtem fore: intercluſo enim ex alterâ parte omni maritimo ſubſidio, non fore tolerabilem famem; ne nunc quidem, cùm omnia à Galliâ pateant, niſi difficili & gravi annonâ. Quæ ad hęc mens Regis futura ſit, non eſt facilis conjectura. Si cauſſam ſuſcipiet, ſimul in ſe grave bellum trahet. Si rebellibus auxilio erit, minimè probabile exemplum erit iis rebellibus, quos habet domi. Poſtremò capienda arma pro iis, qui à communi religione diverſa ſentiunt, quos in Regno ſuo odit & averſatur, neque fert, niſi invitus. Non videntur iſta hominis ſibi conſtantis: palàm certè non putant tranſgreſſurum in partes. Reginæ matris auſpiciis id bellum deſtinatur, non tamen ſine Regiis viribus & conſenſu. Cujus autem ductu geretur, excogitare non poſſum, eſſet quidem idoneus Rex Navarrę aut Condęus, ſed neuter Regi ſe credit, nuptiarum & cædis Bartholomęanę memor, attamen non deſunt, qui dicant Regem Navarræ Sororem unicam Regni hæredem Condæo elocaturum, quo magis utriuſque ſecuritati conſultum ſit, ſi qua vis alteri fiat, altero ſuper-

 ſtite

ſtite, qui vindicet. Harum rerum eventus diu ignorari non poſſunt. Monſ. ille de Selles, quem in Hiſpaniâ M.tas V. novit, in carcere Zelandico interiit. Edictum tamdiu meditatum emendandis moribus tandem prodiit, ſed quod niſi in paucis multorum exſpectationi nõ reſpondeat. Ejus exemplar tranſſcriptum mitto ad Cæſ. M.tem V. cui ego me humillimè commendo, & Deum oro, ut diutiſſimè ſervet incolumem, xxv. Ianuarii, cIↃ. IↃ.LXXXV.

EPISTOLA XLVI.

REx Oratores Belgicos priuatim audivit: quę forma fuerit eorum orationis, ex vero non poſſum dicere; nec tamen difficilis eſt coniectura. Regem quidem reſpondiſſe, ajunt, in nullo ſe boni & vicini officio ceſſaturum. Sunt Oratores numero quindecim, cum comitatu ad homines ſexaginta, quibus ſe adjunxit Princeps d'Eſpinoy, ille qui cum fratre Marchione Richeburgenſi diu vixit in aulâ Divæ memoriæ Imperatoris Maximiliani. Etiam à Rege Catholico, & à Pontifice, & à Duce Sabaudię adventare Oratores percrebuit, aut certè litteras, quæ Regem fœderis moneant, & in officio contineant. Sed ego nec Sabaudi, nec Regis litteras aut legationem, magnam vim habituram puto,

quantum

quantum valitura ſit Pontificis authoritas non poſſum ſtatuere, Oratoribus, quos dixi, publicè ſumptus ſuppeditantur. Venit poſtremò, qui exſpectabatur Orator Anglicus, cum amplo & ſplendido comitatu; ei nomẽ Comiti de Herbei. Regi â ſtirpe ortum ipſi Angli confirmant. Sic obviam ei itum eſt, ut nihil fieri potuerit ſplendidius, ędes prębitę Regis proximę, ſumptus decreti in ſingulos dies ducenti coronati. Cauſſa aduentus perferuntur inſignia ordinis Anglicani, quibus Regina illa Regem impertit. Ceterùm verò propinquior cauſſa ad negotium Belgicum refertur. Ea inſignia Rex accepit die ultimo menſis ſuperioris, in Templo D. Auguſtini, tempore veſpertinarum precum, aſſidente toto ordine Sancti Spiritus. Cui ceremonię vocati Oratores omnes interfuerunt; etiam illi, qui è Belgio adſunt, cum magnâ tamen offenſione Oratoris Hiſpani. Dies craſtinus audiendis præfatis Oratoribus, unà cum Legato Anglico, præſtitutus. Ceterum de exitu negotii diverſę ſunt conjecturę. Certum eſt Regem non libenter in hanc cauſſam deſcendere, atque etjam deſiderare quędam in mãdatis Belgarum, ſed mater urget, cujus in nomen Hiſpànum infinitum eſt odium. Matris voluntati ceſſurum, & in partes tranſgreſſurum putant, ſi non palàm, certè conſenſione occultâ. Quod ſi fiat vereor ut ſubſiſtat pax. Sunt qui arbitrantur inter turbatores rerum Belgicarum præcipuas partes futuras Don Anthonii; eumque

Digitized by Google

eumque auxiliis Gallicis impoſitum iri. Sed de his rebus id demùm haberi certum poteſt, quod præteriit. Dum iſta hinc laborantur, non eſt ceſſatum alibi. Quidam Regem Navarræ veneno tollere conatus, poſtquam id fruſtrà fuit, ſeu firmitate corporis Regii, ſeu debilitate veneni, ad vim ſe convertit, intẽto in eum minori ſclopeto. Sed nec ita propoſiti ſcopum attigit, captusq́ue, & in carcerem datus, cauſſam dicit ex vinculis. Caſus iſte Regem graviter movit, ut certè debuit; quòd ad invidiã ejus plurimùm pertineat, eâq́ue de cauſsâ illi miſit unũ ex ijs, qui juridicundo præſunt, magnæ authoritatis virum, qui cauſſæ cognitioni & tormentis ſicarii illius interſit, resq́ue certas & compertas referat, an aliquo authore, an ſuâ ſpontè & proprio odio eò proceſſerit. VI. Martii, cIɔ. Iɔ. LXXXV.

EPISTOLA XLVII.

HAud dubiè nunciatur è Brabantiâ ſubactam fame Bruxellam Parmenſi ſe dediſſe; Antverpiam verò graviter premi, amiſſo navigationis uſu ob flumen ſive æſtuarium ponte junctum: quod opus tandem ad exitum perductum ſit. Eam rem credibile eſt calcar iſtis additurum, quò citiùs de negotio Belgico ſtatuatur. Nam res illic niſi fulciantur, ſtrenuè ad ruinam ten-

tendunt. Oratores quidem contumacium civitatum ſuis rebus parum confidere videri volunt, quod Rex ſuo nomine bellum gerere nolit,ſed maternis auſpiciis deleget.VII.Martii,cIↄ.Iↄ·Lxxxv.

EPISTOLA XLVIII

DImiſſus Orator Anglicus die hujus decimo quarto,poſtquam viginti diebus hîc fuiſſet, magno in honore,omnibusque cultus officiis.Abeunti donatum tantum vaſorum argenteorum, quod quatuor coronatorum millibus ęſtimetur,ſed & comitum præcipui donis honeſtati.Sequuti paulò poſt Belgarum Oratores,quorum ſingulis impertitę catenæ aureæ pretio ducentorum coronatorum,quorum adventus, nullius,aut non magni uſus fuit,aut certè valdè tecti & diſſimulati.Rex palàm reſpondit,ſibi eſſe in animo ſervare pacem, quam haberet cum Rege Catholico;Regina ſe ſalutis eorum valdè cupidam, ſed quo minùs opem ferat, prohiberi voluntate Regis: an quid ſecretiùs ſub hoc velo lateat, non habeo certum. Illi quidem omni conatu ad niſi ſunt,Regem in apertum bellum trahere. Quod idem Oratori Anglo propoſitum fuit, ſed parùm videtur profeciſſe. Sunt qui putant, neſcio quid modicæ opis eis promiſiſſe Regem, donec ex hac tem-

Digitized by Google

peſtate impendenti evaſiſſet, poſtquàm conquieverit, maiore auxilii mole ſubventurum. Non enim ambiguè novi iſtius Regni tumultus portenduntur. Movent arma Guiſiani irati, ut vulgò ajunt, quòd ſua majorumque tanta merita nullâ Regis liberalitate penſentur, cùm interim duo Iuvenes novi, nullâ re, niſi arrogantiâ & ſuperbiâ inſignes, magnis viribus & honoribus cumulentur. Neque hîc conſiſtunt: volunt poſt Regis interitum deſignari Regem, qui Religionem profiteatur Catholicam; revocantque denuò in ſcenam ſacras ſocietates, & fœdera adverſus hæreſes inſtituta, in quibus ſibi primas partes vendicant. Hoc eſt, cùm præclarè intelligant, ſi Rex Navarræ poſt Regis mortem rerum potiatur, nullum ſibi in Galliâ locum fore, maturè obviam ire, & dũ tempus eſt rebus ſuis conſulere, vel cum ſummâ iſtius Regni perturbatione conantur. Ac ſanè ſuſpendit ingẽs metus atque exſpectatio omnes Galliæ populos, quiſnam Religionis ſtatus futurus ſit Rege defuncto. Plerique enim veteres ritus, omnes ceremonias & ſacra ſub Rege Navarræo profanatum diſſipatumque iri credunt, eodemque loco, & fortè pejore Catholicos tum futuros, quàm huc uſque fuerunt, qui diverſam religionem ſectati ſint. Ea opinio res novare volentibus magnam præbet oportunitatem; præſertim iis, qui à vetere religione nunquam deflexerunt. Quo numero ſunt Guiſiani, quorum præterea ingens favor & gratia eſt apud

po-

pulum;adeò ut voces interdùm audiantur, quibus illis plus deferatur,quàm Regi.Continuatam à Carolo Magno uſque in hoc tempus gentem, perpetuos veteris Religionis propugnatores, Regi & Regno Galliæ nunquamnùm fidos, tametſi neglectos, aliis locum obtinentibus,quem ipſi mereantur:nunc iuſtâ de cauſsâ capere arma,munus Regis ſubire, & defendendam ſuſcipere religionem.Stat etiam ab illâ parte,relictis gentilibus ſuis,Cardinalis Borbonius.Regi per litteras, & nuncio admonenti, viderent quò progrederentur, reſponderunt, ſe nihil contra eum moliri, ſibi manere fidem & obſequium,ne crederet fictis malevolorum criminibus.Nihilominùs appropinquare Equitum Germanorum adventum fama increbreſcit,jamque Lotharingiæ imminere,& brevi habiturum Guiſium in armis ad viginti millia hominum. De pecuniâ ſi quęrat aliquis, unde ſit ſuppeditatura, vulgi ad hoc expedita reſponſio eſt, pecuniam deeſſe non poſſe, amicis & adjutoribus Pontifice Maximo, & Rege Catholico, nam hos non dubiè cum Guiſianis convenire.Enimverò ſi quis attendat,quibus præcipuè boni ſint iſti motus,non facile reperiet alios, quàm Pontificem & Regem Catholicum: nam hujus quidem Provinciarum quies,& cœptorum, quos ſperat,eventus,non aliunde pendet quàm à motibus & perturbatione iſtius Regni. Non fallunt iſta Regem Navarrę,neque ab eo negliguntur, quin & ipſe ea

 com-

Digitized by Google

comparet, quibus vim propulſet, & ſalutem muniat. Idem Regi operam ſuam adverſus hoſtem defert. Rex eum animo quieto eſſe jubet, neque quicquam attentare; tantùm ita habere proviſas urbes ſuas, ne pateant hoſtium inſidiis, fore ſibi curę cætera. Neſcio quatenus is fidem adhibeat: nam non deſunt, quibus ſuſpicari libet, nihil inſcio atque invito Rege à Guiſianis cœptari. Alii quidem huc uſque Regem conſiliorum Guiſianorum expertem, ſed eundem brevi cum illis ſenſurum, cauſſamque communicaturum judicant. Non quòd eos præcipuo amore complectatur, ſed quòd Navarræum ob veteres diſcordias & diſſidium Religionis magis oderit. Neque mihi dubium eſt, quin, ſi detur ipſi optio, quemvis Regni hæredem malit, quàm Navarræum. Quid enim actorum ſuorum firmum? cujus affinis aut etjam conſanguinei ſtatum inconcuſſum? cujus amici fortunam nullam ſubituram mutationem hoc ſucceſſore polliceri ſibi poſſit? Poſtremò durum eſt poſt mortem prævidere florentes fore quos in vitâ afflictos volueris. Sed eſt difficile talium rerum fontem & radices recludere; ideò melius, dum tempus in apertum proferat, in medio relinquuntur. Novam haud ita pridem in caput Reginę Angliæ conjurationem deprehenſam conſtanti famâ circumfertur. Hollandiæ & Zelandiæ populi toti ſunt in apparandâ claſſe, quâ perrupto ponte Antverpię ſubveniant. Quòd ſi minùs ſuccedat, ag-
gerem

Digitized by Google

gerem maritimum,qui eſt citra Bergas ſubruant,ac mare Antverpiam uſque immittant, ita ut deinceps naves irrito ponte ad mœnia ejus urbis appelli poſſint,non ſine miſerandâ accolarum clade;tanta pertinacia eſt, ipſi neceſſitatem vocant.XXVI Martii.cIɔ.Iɔ.LXXXV.

EPISTOLA XLIX.

MAgnum in metu eſt bellum, ſubitum quidem illud & inexſpectatum, Regi ipſi penè viſum priùs,quàm cognitum.Ante duos menſes Dux Bullonius eum per litteras monuerat,ut rebus ſuis conſuleret,parari bellum à Guiſianis, quòd à ſe tum neglectum identidem ingemiſcere dicitur. Author iſtorum motuum ſpecie præcipuus Cardinalis Borbonius, reverà,ní fallor, Duces Guiſius & Maynæus, & Cardinalis Lotharingus, fratres; Dux d'Aumale & Marchio del Bœuf patrueles,Dux item Mercurius Reginę frater,oræ Britonum & Armoricę civitatis Pręfectus. Hos ſequũtur multi alii,ſed inferioris notę, quos longum eſſet percensêre.Cauſſę offenſionum plures: inprimis æmulatio.Iamdiu ęgrè ferunt Guiſiani,non ſe locum gratiæ & honoris, quo ſe dignos putant, apud Regem tenerę: divitiis & dignitatibus alios cumulari, ſui nullam haberi rationem: jacère ære alieno oppreſſos, officiis majo-

 rum

rum & ſuis erga hoc Regnum contracto. Regem ſibi duos Iuvenes ſelegiſſe, quos amaret, foveret, loco filiorũ haberet, in quos Regni opes effunderet, qui ejus interiore convictu aſſiduè uterentur; cùm ipſi non modò ab ejus congreſſu, verùm etiam à conſpectu objectis foribus contumeliosè repellerentur. Huc acceſſit, ut opinor, ſuſpicio nec temerè orta, fore ut Navarræi ſoror ejus Regni & latiſſimæ ditionis hęres, nuberet Duci Apernonio, Conneſtabili, ut credunt, à Rege deſignato; quâ matrimonii conjunctione conciliatus Navarræo Rex, aliâs iniquior, ęquum ſe ſucceſſioni illius præberet. Huic incommodo, ut graviſſimo, viſum fortaſſis Guiſianis ire obviam: nam ſatis conſtat eos, vel Nauarræi, vel Condæi Regno, nullâ authoritate, nullo numero in Galliâ futuros. Cardinalis Borbonius Regni ſucceſſoris nomen affectat, fertque indignè ſibi præferri fratris filiũ certioremque hæredem judicari. Adeoque faſtidito Cardinalitio habitu ſibi placet in ſagis, ut quibuſdam delirare videatur. Perſuaſum habet deberi hoc à ſe Sedi Apoſtolicæ, deberi Religioni, quam profitetur, deberi generi & dignitati, ne huic Regi defuncto ſuccedere alium quam Catholicum patiatur. Sic tanquam conjurationis caput ſe infert, & primas partes depoſcit Religio, Bonum publicum, conventus Ordinum, incolumitas Regni, ſalus bonorum tralatitia, & res novas volentibus uſurpare adſciſcuntur, obtenduntúrque, Quin

etjam

etiam afferri, bulla jam jamque adeſſe dicebatur, quæ Regi Navarræ & Condæo omni ſpe ſucceſſionis interdicit, ut inhabilibus & indignis. Haud ſcio quam utili ad concordiam exemplo, præſertim his temporibus, quibus triumphatis Perſis, ſi unquam Chriſtianorum finibus pertimeſcendum ſit. Fallitur enim, ſi quis tamdiuturno bello aliud Turcæ quæſitum putet, quàm ut ſibi ad excidium Chriſtianitatis viam muniret, ut poſtquàm is hoſtis ſive ſublatus, ſive domitus tuta terga præſtitiſſet, ipſe totis viribus de ſalute & Imperii ſummâ, inæquabili certamine nobiſcum dimicaret. Atque ea, quę dixi, tam grata ſunt in vulgus, ſic animos multorum permovent, ut neſciam quid futurum ſit. Regi quidem nihil potuit accidere, neque inexſpectatius, neque incommodius, imparato ab exercitu, nudo à pecuniâ. Vix eſt Catholicorum optimatum quiſpiam, qui non Guiſii conſiliorum particeps & fautor occultus habeatur. Provincię ferè omnes nutant; pręcipuæ civitates partim ſunt infidæ, partim præſidium accipere recuſant. Ita Rex vix habet, quo ſe vertat, inter certos hoſtes, amicos vel imbecilles, vel exiguos. Et quamquam agat omnia, ut vires contrahat, tamen hoſte jam propinquo & jam accincto, omnis feſtinatio tarda eſt. De uno Duce Mercurii mihi mirum, adduci potuiſſe, ut contra Regem indueret arma, qui ſororem habeat Reginam, & ſit ipſe magnis & recentibus Regis beneficiis

 auctus

auctus. Sed & hunc movit, jurium, quæ prædeceſſores ejus Britonum gubernatores habuerunt, ereptorum & ad Ducem Ioyſium ut maris Admirallium tranſlatorum injuria. Vrbs Aurelia primæ eſt poſt Lutetiam authoritatis, ſtat à partibus Guiſianis. Oppidum Normanniæ maritimum Caen cui arx imminet munitiſſima, eſt in poteſtate Marchionis del Bœuf: arcem tenet Dau, quondam inter intimos Regis nunc Guiſianus. Complura alia loca Dux d'Aumale occupavit, ad quæ recuperanda proficiſcitur Dux Ioyſius. Bleza locus haud longè Burdegalâ diſſitus & à quo multum noceri illi civitati poteſt, ſi Regi fidelis eſſe pergat, Lanſaccius Iunior & ipſe Guiſianus cum pręſidio inſedit. Briſaccus Andium arcem tenet. Sic plures partim per Galliam projectâ Regiæ Majeſtatis reverentiâ quotidie diſciſcunt. Tentata quoque Marſilia ſed inauſpicatò. Ergo hîc rerum ſtatus Ducem Apernonium juvenem aliàs tantę ſuperbię ut Regii generis homines aperto capite ipſe operto ſe alloquentes audiret, aliquanto comiorem reddidit, ut & ipſe pileo manum admoveat. Itaque vulgari joco pileum quem antea ignorare videbatur ubi eſſet, jam reperiſſe dicitur. Rex circumquaque ſuos Oratores dimiſit qui ſævientes animos lenirent, ſed nihil ęqui referunt. Regina ſenior etiamnùm eſt apud Guiſium, cujus atroces in filium querelas ſæpe audire cogitur. Eodem acceſſit Cardinalis Borbonius ante cujus

ad-

Digitized by Google

adventum negabat Guiſius ad ſe de his rebus adiri debuiſſe, ſibi nullam pręcipuam poteſtatem, ſed ut unumquemlibet fœderi ſancto ſivę ſacro militare. Eſt ibidem cum ampliſſimis à Rege mãdatis Archiepiſcopus Lugdunenſis, ſi quid tranſigi poſſit: ea una ſpes Galliæ ſalutis. Itaque magna eſt expectatio reditus Reginæ, quo vel optata cùm Guiſianis pax referetur, vel pernicioſi ducetur belli initium. Sunt qui affirment non aliter dę pace conventurum quàm ſi Regi Catholico reſtituatur Cameracum, adeò non diſſimulanter pręſeferunt Guiſiani, ſe communicatis cum Rege Catholico conſiliis arma moviſſe. Regina Angliæ quam non latet quam iſta ad ſe pertineant, ſex millia equitum ęre ſuo conductorum auxilium Regi offerre dicitur, optione datâ ſive Anglos malit ſive Helvetios. Rex quoque Navarræ magnum offert popularium ſuorum numerum, ut qui vereatur, neque temerè, ne hęc poſtremò in ſuo capite cudatur faba. De cæde Marchionis Richeburgi & ut etjam ajunt Billii & quorundam aliorum ad pontem Antverpienſem haud dubiè Cæſarea Majeſtas veſtra audierit. Vereor ut ſemper eadem ſcribendi facultas ſuppetat, itineribus quibus Metam & Nanceum itur alterutrius partis militibus infeſtis, omnia ſcrutantibus ac diſſipantibus. Ac neſcio an hæ ipſæ litteræ pervadere ſine naufragio poterunt. xxv. Aprilis, cIↃ.IↃ.LXXXV.

EPI-

EPISTOLA L.

GVIſius oppidum Verdunum cum non nulla reſiſtentium cęde intercepit. Ad Guiſianorum item factionem Lugdunum & Nantes defeciſſe creduntur. Ex Angliâ novi motus detectio, conſcio Comite Arundellio captoque, nunciatur. XVIII. Aprilis, cIↃ. IↃ. LXXXV.

EPISTOLA LI.

BEllum ſtrenuè gliſcit, nihil tamen geſtum valdè commemoratu dignum. Clerus dicitur ſuppeditare Regi quot menſibus centum millia Coronatorum in ſumptum belli, cum eò, ut Rex terminum quem Hugenotorum migrationi pręfinierat contrahat, quemadmodum fecit: ut ex edicto quod his conjunctum eſt Majeſtas veſtra videre poterit. Sed tamen ne ſic quidem Rex fidem facit ſe reverà & ſincere cum ſacrâ ſocietate ſentire, & in partes illas tranſiviſſe. Sunt enim qui dicant eum ita fingere ut pecuniam eliceat, quam conſecutus pellem verſurus ſit : dies docebit. Magnum tumultum excitarunt pauci milites Hugenotti

notti infra viginti, qui arcem Andegavenſem occuparunt, præſertim ubi auditum eo venire Principem Condæum, & jam trajeciſſe Ligerim, & in ſuburbio caſtra locaviſſe. Cōcurrit eò quidquid erat militum, ſive Equitum ſive peditum una cum Helvetiis, ipſius Regis cuſtodiæ ductores omnes Ioyſius, Apernonius, Mayneus, Bironius. Sed Condæus poſtquam ſe tantis copiis circumveniri vidit neque ſe poſſe in arcem evadere, damnato conſilio trans Ligerim ſe recepit, diſſipatiſque copiis in tutum atque intra ſua præſidia pervenit. Rumore hîc interea ſparſo & credito illum in tranſitu fluminis cujuſdam captum, ſed mox de vanitate ejus rumoris conſtitit. Paulò poſt Rex copias revocavit propter continuas pluvias, & tempus anni gerendo bello contrarium, malè acceptas & non immunes à graſſantis luis contagione. Oppidum Burgundiæ Auxone vulgò vocant Majeſtatis ſuum Præfectum poſtulavit, quod Præſidium Hiſpanicum in arcem accipere cogitaſſet, & eo obtentu arcem magna ex parte delent. Et Lugdunenſes jam pridem arcem ſuam ſolo æquarunt. Idem ut fieret de Andegavenſi Regem imperaſſe ajunt. Sic magna hic fit arcium ruina, alibi ædificantur. Cum his conjuncta erit Bulla Pontificia quâ inhabiles ad ſuccedendum huic Regno Navarræus & Condæus declarantur: quam vim habitura ſit novit Deus. Mihi metuendum videtur ne tuba ſit majoris tumultus. Nihilomi-

Digitized by Google

nus dicitur Rex bona Navarręi quibus manum injicere potuit confiſcata fiduciario titulo donaſſe Patrueli ejus Cardinali Vendoſmo. Epiſcopus Pariſienſis Romā Regis nomine Legatus abiit, de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum aliiſque ut credibile eſt de rebus multis acturus. Orator item novus Conſtantinopolim profectus non ultimæ nobilitatis, quem nihil quod expediat Germanię tranquillitati ſtructurum puto. Vnus hîc timetur eques Germanus, cui diſtinendo, Turcicorum armorum terrorem remedio eſſe, videtur iſtis perſuaſum. Intelligo faſciculum unum mearum litterarū quas ſcripſi menſe Maio deſiderari : neſcio ubi hęſerit; Miſeram per viam Bruxellenſem ut tutiorem, ut etjam hunc mitto, ſed cautius, ſpero & illum Cæſareæ Majeſtati veſtræ redditum iri, ſerò tamen. Lutetię, xv. Novembris, cIↄ. Iↄ. xxxv.

EPISTOLA LII.

ETſi nihil incidit à poſtremis meis litteris ſcriptione dignum, ſcribo tamen nactus ſcribendi opportunitatem, quę rara eſt hoc tempore. Dux Maynæus cum ſuis copiis pervenit ad loca finibus hoſtium proxima. Brevi audiemus quos progreſſus faciet, & quo eventu bellaturus ſit. Rex animum vehementer obfirmavit

mavit ne quem ſectæ Hugenoticę aut alium quā Catholicæ Religionis in Galliā patiatur. Itaque ſe proripiunt qui Religionem mutare nolunt. Fuerat his diebus porrectus Regi libellus nomine mulierum & puellarū quarundam, quo ei ſupplicabatur ut illis tutò manere liceret victuris in abdito ſine ullâ cujuſquam offenſione. Rex aſſentiri noluit, ſed fide ſuâ in Angliam incolumes trajciendos curavit. De reliquo totus ipſe deditus novis ſuis ceremoniis & vitæ ſolitudini, ut non deſint qui vereantur ne ex eo in adverſam valetudinem aut certè in genus aliquod odioſę ſuperſtitionis prolabatur. Regina Anglię non diſſimulanter, Hollandię & Zelandię & quarundam aliarum civitatum tutelam ſuſcipit, ut etjam ſcripto publicè edito teſtata eſt. Locis mediterraneis haud ſcio quantum opis allatura ſit: ſed maritimus ejus Regni ſitus & reliquorum locorum, & validæ claſſis oportunitas magnum auxilium videtur promittere. Sic certè bellum ducetur, prorogabuntur miſeriæ, incerti poſteri temporis eventis aditus reſervabuntur, & clauſo mari cæteras Belgici tractus Regiones famis metus premet, VI. Decemb. cIↄ.Iↄ. LXXXV.

Digitized by Google

EPISTOLA LIII.

VVlgata jam adventantium Germanorum Equitum fama. Rex Ducem Apernonium Metas ad ſuam Præfecturam dimiſit. Ea urbs mire turbata eſt propter novitatem Religionis. VIII. Decemb. cIↄ.Iↄ. LXXXV.

Hiatus hic aliquis & litterarum intermiſſio, quem curæ forte ſecundæ ſupplebunt.

EPISTOLA LIV.

NAvarrus jam liber & ſolutus Lutetiæ ſuburbia, ut nuper attigi, tentanda ſibi propoſuit. Itaque perductis eò copijs totius univerſitatis, quam vocant, ſuburbia quę quatuor bonorum oppidorum inſtar videri poſſunt, expugnavit & diripuit. Præſidium ciuium Lutetianorum tuendis ſuburbijs prępoſitum alto vulnere percuſſit; ſuis militibus inter Lutetianos & urbis mœnia furtim ita inſinuatis ut illi avulſo ad urbem receptu, undique ſe hoſtili exercitu circumſeptos deprehenderent, ibique eorum multi caperentur, plures occiderentur ſiquidem nulli parcitum, niſi qui fidé faceret tantum ſibi eſſe in nummis domi ut pactam pro capite mercedem poſſet ſoluere. Captiuorum & in-

cer-

terfectorum numerus duorum millium ſummam implere creditus, ab eâ clade poſtero die venit in urbem Maynæus. Navarrus poſtquam diſpoſito in aciem exercitu, tamquam ad pugnæ facultatem, aliquamdiu ſtetiſſet, paucis à Lutetiâ milliaribus cum prędâ & captivis caſtra retulit. Inde Stempas quas hoſtis tenebat recepit, nullius quidem munitionis oppidum ſed propter commoditatem tranſmittendę è locis maximè frumētarijs Lutetiam annonę, valde opportunum. Adhuc magnas copias ſub ſignis habere Maynæus dicitur, ſed laborat ab inopiâ ſtipendij itaque eius auxilia nunc magis oneri ſunt Lutetianis quam emolumento. Nam quęcumque hoſtis notitiam aut ſatietatem fugerunt in ſuā prædam vertunt, ut non minus detrimenti ſocius inferat quam hoſtis. Ex quo mirandum non eſt ſi annona ingraveſcit, ac propius atque adeò in ipſis viſceribus bellum ſentire Lutetia incipiat. Hiems fortaſſis & rei nummariæ difficultates ſic finem imponent hujus primo Tragedię actui, ac deinceps utraque factio cogendis regni conventibus ſuam cauſam fulcire conabitur, Lotharingi, ciuitates & ordo Eccleſiaſticus Lutetiæ: Navarrus cum præcipuâ nobilitate apud Turones, ubi credibile eum facturum omnia ut regiorum inſignium ſpecie quadam ornetur, quo regiæ Majeſtatis nomen iuſtius uſurpet & maiore cum auctoritate rem gerat. Non quidem intereà à bello prorſus feciaturus ſed locis

opportunioribus belligeraturus in Biturigibus Aureliano, Britonibus atque alijs: vbi etiam ſi res ita ferat, facultas erit cum iuvene Duce Guiſio & Cardinale Borbonio reliquiſque captivis de reconciliatione agendi, multis enim de compoſitione actum iri & jam hujuſmodi aliquid non ſine ſpe tentatum perſuadetur. Ego me Caſ. M^ti V. humilime commendo. XIII. Novembris cIↃ. IↃ. LXXXIX.

EPISTOLA LV.

VEndomum ſive Vendoſmum ſic ſatis munitum ditionis ſuæ oppidum proditione Præfecti amiſſum Navarrus vi recuperavit, redactumque in poteſtatem Præfectum virum nobilem ignominię cauſâ inciſo iugulo. Priorem verò familiæ Dominicanorum qui Lutetiâ miſſus illic concionabatur in patibulo necavit. Dehinc deditione recepiſſe dicitur Cenomanos, vrbem lautam & celebrem (vulgô le mans vocant) quamquam de eo nonnihil ambigitur, ſatis conſtat pecunias à Sereniſſimo Rege Catholico Lutetianis ſummitti, ſed vereor ut tantæ ſint quantis opus habeant. Solent qui ſocijs pecunias ſubminiſtrant citò defatigari. ſex onuſti currus Antverpiâ Lutetiam proficiſcuntur, eâdem operâ magnam pulveris Bombardarij vim apportari dicunt. XXIX. Novembris cIↃ. IↃ. LXXXIX.

EPI-

EPISTOLA LVI.

FAma eſt Navarrum apud Turones regni inſignibus ornatum, conferente ea Cardinale Lenoncurtio Archiepiſcopo Rhemenſi, apparentibvs ſive miniſtrantibus quatuor alijs Epiſcopis. Sunt etjam qui addant rebus ſacris Catholici ritus eũ interfuiſſe. Quod negant alij : fatentur tamen in eâ oratione quam tum habuit profeſſum ſic in religione ſe brevi eis ſatisfacturum ut nulli iuſta querela relinqueretur. Creatum ab eo Galliæ Conneſtabilem Momorâtium quem expectari Turonibus ut ſolemni cęrimoniâ, fide clientelari Regi auctoraretur, de receptione urbis Cœnomaniæ dubitare deſitum, neque intra hos fines conſiſtit malum. Nam ſunt qui etjam Carnutum urbem lautam & munitam in ejus fidem veniſſe confirment & agrum & fines Biturigum iamdiu fuiſſe in ejus poteſtate, nunc agi de ipſius urbis deditione. Idem nuntiatur de Meluno urbe ſupra Lutetiam in Sequanâ fluvio ſita, valde opportunâ prohibendę ne Lutetiam importetur annonæ. Sed & Pręfectum portus in Normandiâ, quem vocant portum gratiæ, paratum cum Navarro paciſci quidam credi volunt: quorum, non dicam omnia, ſed ſi pars vera ſit, haud paulò durior fiet Lutetianorum conditio, qui

nunc

Digitized by Google

nunc toti ſunt in numerandâ pecuniâ Hiſpanicâ. Trecenta Coronatorum millia fuiſſe dicunt. Ego tamen nullum video rerum earum ſtabile fundamentum, ac proinde vereor ne redeuntis Navarri impetum ſuſtinere non poſſint, cuius adventum appropinquare quidam dicunt, quidam conferunt in tempus vernum. Ego huic oppido ubi nunc ſum valde timeo, eâ re cogor nouas latebras circumſpectare, ut me captę urbis (ſi per vim capiatur) calamitatibus ſubtraham. Marchio Pontanus traiecit in Flandriam inde per Brabantiam vel Hannoniam & Namurcũ rediturus domum. Sublata dicuntur Lutetiæ concilia illa quæ vnitatis concilia vocabantur, ſummaque rerum ad arbitrium Parlamenti denuò revocata, quod ſub nomine Regis Caroli decimi nimirum Cardinalis Borbonij edicta cudit. Sed metuendum eſt ne major vis ſit Parlamenti à Rege Henrico nouiſſimè defuncto Turonum tranſlati. Dicitur Parmenſis neſcio quo, ſed certè periculoso morbo languere. Horum temporum perturbatio magno Chriſtianiſſimæ Reginæ impedimento futura eſt quominus bonis & rediitibus quæ habet in hoc regno (ut conſuevit) utatur fruatur, ſi quidem illi vix in dimidiam ſumptuum ſe familięque ſuſtentandæ neceſſariorum partem ſufficiét quod quidem puto me antea humillimè monuiſſe, & nunc quo id propius apparet, repetere operæ precium duxi; ut M.tas V. diſpicere dignaretur, quâ ratione ei

ſub-

ſubveniendum eſſet, dum hæc procella prçteriret. XIV. Decembris cIↄ.Iↄ.LXXXIX.

EPISTOLA LVII.

EDicti Turonum à Navarro regni ordinum conventus, in quibus de ſummâ regni deque ratione puniendæ Regis cœde ſtatuatur. Ijs conventibus ſumpta dies Martij XV. Legatus Pontificis qui iam diu expectabatur Lutetiç, hçſit Divione; quo euocatis Lingonibus quæſiuit ex eis num vellent relicto Navarro ſequi imperium Caroli X. Cardinalis Borbonij, quibus recuſantibus ſacris interdixit eorumque Epiſcopatum Divionem tranſtulit, nudiuſtertius arbitrantur ingreſſum Lutetiam. Sparſus hic nonnullus rumor tametſi levis & incertus adventus claſſis Turcicæ. aiunt Turcam ſcripſiſſe huic Regi ſe nullâ re quâ indigeret adverſus Hiſpanum ei defuturum. In magnâ expectatione eſt quo ſe ſit daturus Navarrus, multis & præſtantiſſimis Normanniç urbibus captis. Sunt qui obſidionem Rothomagi eum cogitare putent, belli malis iam feſſç; ſed ejus rei maturitas nundum venit, vires nõ ſunt ad eam rem tantç quantis opus eſt: inſtruuntur tamen, nec longiſſimè abſunt. Videndum eſt deinde quo eueniant conatus Maynæi cui videtur propoſitum, omnibus deiectis quæ ſunt ad fluuium Sequanam adverſariorum

 præ

Digitized by Google

præſidijs ejus fluminis navigationem Rothomago Lutetiam uſque liberam reddere: quod non eſt nullius negotij in tantâ præſertim Navarri propinquitate. Arx certe Meulani, quam ab eo dixi obſeſſam, nullum timoris ſignũ præ ſe fert, neque videtur facile ceſſura oppugnanti. In magnum exiſtimationis diſcrimen Dux uterque venit, tam Mayneus quam Navarrus, uter prior propoſitum omittat, aut in ſuo conſpectu ſocios diripi patiatur; aut ſi prælio laceſſat, conditionem detractet. Magnâ cum admiratione meâ audio Regem Scotiæ duxiſſe uxorem filiam maiorem Regis Daniæ, quod ei ſororem Navarri deſtinatam putarem. In Belgio neſcio quâ re offenſus Dux Parmenſis, ab omni fere muneris ſui functione, ſe abſtinuiſſe, vitatâque aulæ frequentiâ aliquamdiu ægritudini ſe dedidiſſe, atque eâ de cauſâ miſſus ad Regem Conſiliarius Richardotus dicitur.

Ad reliquas civitates quas brevi ſpacio cœpit Navarrus modò additum iri putant Eburovicos (Eureux vulgò vocant) vrbs eſt parum quidem munita, ſed ſedes Epiſcopalis & Comitatus: diſtat hinc decem milliaribus, jam is inſedit eorum ſuburbia. Quo nuncio tum iſtud oppidum, tum tota vicinia valde contremuit, ſimilem caſum reformidans, ſed ille videtur deflexurus Rothomagum, nam eò miſit tibicinem qui ad deditionem eam invitaret, aut denunciaret exitium. ad fragorem tot circumcirca ruentium oppidorum videtur

metu

metu obtorpuiſſe Rothomagus, eo quocunque precio velle depaciſci, hinc illa Navarri ſpes. interim arcis Meulani obſidio (de quâ dixi) valde friget.

EPISTOLA LVIII.

VEnit Meldas cum exercitu Mayneus, ſed tamen infirmior quam ut poſſet obſidionem Lutetiæ ſolvere, aut bonâ ſpe cum Rege pugnare; laceſſitus pugnam detrectavit, & caſtra in tutum retulit eò acrius Rex ſibi in Lutetię obſidionem incumbendum putavit. tenebat is quidem ſuburbia, ita tamen ut quæ eſſent urbi propinquiora, magis eſſent in civium poteſtate quam ſuâ, igitur conſtituit caſtra proferre & ad urbem proximè admovere, quod unius noctis ſpatio conſequutus eſt, vallo caſtrorum ad ipſius urbis portas promoto. ex quo nulli dehinc poteſtas intrandi aut exeundi ſine eius permiſſu. Interim fames ita ingraueſcebat Lutetię, ut vix poſſet diutius ſuſtineri, & pluſquam duodecim millia hominum fame perirent, æquo tamen animo ferrent incolæ, mallentque extrema quæque pati, quam ſua conſilia damnare aut ſpes deſerere. Alebantur promiſſis Oratoris Hiſpanici & Legati Pontificij, ampliſſimas copias atque ipſum Ducem Parmenſem adventare oſtendentium, quod

 paulò

paulò poſt eventus comprobavit. Venit tandem Parmenſis, inſtit utâ jam pacis actione, nam ſextâ die hujus menſis Cardinalis Gondius, & Galliæ primas Archiepiſcopus Lugdunenſis fide interpoſitâ ad Regem venerunt, ſed nihil effici potuit, actio tantum prorogata, ut ferendis referendisque conditionibus via ad pacem aperiretur. Denique locum ei negotio conſtitui placuit Nantolium arcem & domicilium Schombergi, novẽ milliaribus Gallicis à Lutetiâ diſtantem quo convenirét pacis arbitri ex utrâque parte terni, ſic cum nonnullâ in ſpe videretur eſſe pacis negotium, litteræ Maynæi excipiuntur ad matrem & uxorem, quibus eas hortabatur ut exiguam etjam moram ferrent patienter, ſe jam jámque eis ſubventurum, nam de ſe quidem nullum metum ne Regem hereticum audiret aut ad ullam cum eo pactionem deſcenderet. Quas literas Rex pacificatoribus Cardinali & Archiepiſcopo oſtendit, minimumque abfuit quin omnem pacis actionem repudiaret. Demũ ab eis exoratus conſenſit ut dies inducijs præfinita expectaretur, ea erat hujus menſis vigeſima ſexta, quod ab eius rationibus alienum non erat, ut qui adventantes cum lectiſſimo equitatu & peditatu Nivernenſem & Viceconitem Turnęum ſibi expectandos, ſtatuiſſet nec dubitaret quin propediem adfuturi eſſent tantum bombardas à Lutetię portis reduxit eaſque cum reliquis gravioribus impedimentis Sancto Dionyſio

inclusit

incluſit ne quid eſſet quod eum moraretur ſi pugnæ neceſſitas ingrueret aut aliò avocaretur. Nam ita fert eius conſuetudo ut ſine impedimentis pleraſque expeditiones obeat, militem alioqui nullum ab eâ ſtatione quam ad Lutetię męnia habebat movit. Non erit fortaſſis alienum hoc loco, utrumque Ducis tam Maynçi quam Regis exercitum reliquamque eorum nationem conſiderare ut ſi vētum ſit ad manus, & meas litteras rumor, ut fieri ſolet, prævenerit: de ejus rumoris fide Cæſ. M. tis V. iudicium aliquod facere poſſit. Congreſſus erit duorum inſignium Ducum, ætate & rebus geſtis florentium, è quibus alter, utpote Maynæus ſubmiſſis Parmenſi faſcibus, alienis pugnabit auſpiciis. Congreſſus in quam erit duorum iſtorum, cum Rege uno bellatore acerrimo & ſummi in re militari uſus, cuius peditatus cum omnis convenerit, cenſetur futurus circiter viginti millium equitatus verò millium ſex cuius equitatus major pars è nobilitate conſtat, præſtantiſſimis æquis atque armis inſtructa, peditum Gallorum habiturum arbitrantur ad tredecim millia, Heluetiorum cum acceſſione parua Germanorum millia ſeptē, in his erunt Vaſconum veteranorum quatuor aut quinque millia, vel robur totius peditatus potiſſimum. hic omnis tam peditatus quam equitatus miro in Regem ſtudio conſentit, cuius imperio aſſuevit, præſentiaque magnopere confidit. Habet preterea idem Rex Duces

Digitized by Google

aliquot provectæ ætatis in diverſis bellis verſatos quorum conſilio & operâ magnopere iuvatur, Bironum, Aumontium, Noëum & complures alios, cum his iunguntur Borbonij ſanguinis reguli cum primaria totius Galliæ nobilitate. nunc redeo ad eos de quibus initio dicere incœperam Parmenſem & Maynæum quorum ut alter alteri (ut hoc obiter dicam) ſcientia rei militaris non cedat, cedit certe Mayneus Parmenſi felicitate, qua ipſe deſtituitur, Parmēſis adeò pollet (ut res jam aliquot annorum ſpatio in belgio geſtę teſtantur) ut Regi ſit eo par videri poſſit horum pedeſtres copiæ coniunctę ſurgunt (ut fama eſt) ad numerum decem & ſeptem millium, equeſtres verò paulò minus quam ad quinque. In his peditum optimi cenſentur Hiſpani & Walones, qui coniunctis aliquot Italorum cohortibus haud multò amplius quam quatuor millium numerum implent Reliqui ſunt Germani ſuperiores, inferiores Galli, Lotharingi, iſtorum exercituum Duces, quos dixi Rex & Parmenſis, in eo nunc toti ſunt ut rationes excogitent quibus ſuos quam maximè integros conſervent, hoſtibus quam maximè incommodent. Parmenſis quo commodius equitatus Gallici impetum ſuſtineat, palos craſſos, & benè robuſtos certo ſpatio interpoſito, humo defigit quod ſpatium deinde, fune valido & craſſiſſimo iungit, atque ita totum peditatū circumvallat, intraque eum funem moſquetarios ſtatim locat, ut e

loco

loco tuto, equitatum arceant, & ſclopetarij omnes glā-
des paratas habent geminas, ęreo filo coniunctas, qui-
bus equos exitioſis vulneribus lacerent. Item catenulis
cohęrentes globi bombardis induntur quas bombar-
das inter ordines locis opportunis militum obiectu te-
ctas habent quibus globi in hoſtem ſuo tēpore emiſſi
mirabilem equorum ſtragem edant. Similiter Rex
hominibus ſolertibus & aſtutiarum militarium peritis
in conſilium adhibitis quotidie commentatur, quem-
admodum novus in aciem veniat, hoc eſt, quomodo
vel inuſitato genere armorum, vel memorabili ſtrata-
gemate, hoſtem perturbet. Duces ergo ex utrâque par-
te magni committuntur, cum validis copijs fere nu-
mero paribus, niſi quod regiæ aliquanto ampliores
habeantur: ſed in eo non parum diſtant quod Rex
unius gentis & ſuę ditionis (paucis exceptis) militem
ducit ſibi fidum & obſequentem, Parmenſis è varijs
nationibus collectum, fortaſſe magnā ex parte tyro-
nem nec fidei nec virtutis ſatis ſibi ſpectatæ eſt, & in eo
non minimum momentum quod Rex ſuis locis, hoc
eſt iam ante captis & præmunitis rem gerit, alia ſit Par-
menſis ratio cui ad cęteras difficultates accedat loco-
rum iniquitas, per quam ſine ſuo incommodo per-
rumpere nequeat ex quibus omnibus haud ſcio an co-
iectura aliqua capi poſſit de exitu pręlij ſi committatur
humano more loquor quemadmodum ſolemus è

Digitized by Google

ſignis ſolis occidentis, de ſequentis diei ſerenitate iudicare. nam alioqui non in falcatis curribus non equis non in multitudine militum neque in magno belli apparatu victoria conſiſtit ſed pendet a nutu Dei. In hoc ſermone ſi longior fuerim quam conueniebat apud Caeſ.M.tem V. oro ut pro ſolitâ ſuâ clementiâ mihi ignoſcat cui ego me humilime commendo & Deum oro ut eam conſervet. Mantæ XXVII. Auguſti cIↄ.Iↄ.xc.

FINIS.

TENOR PRIVILEGII.

Privilegio *PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici & Potentiſſimi Belgarum Principis, Dato VIII. Iulij* CIↄ.IↄC.XXXII. Sign. Loyens *cautum eſt, ne quis infra Octennium Epiſtolas haſce imprimat quod Ioanni* Pepermano *Bibliopolæ Bruxellenſi tranſcribo.*

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

I. B. HOVWAERT.

CENSVRA

HÆ AugerI GilenI BusbequI Epiſtolæ in medijs turbatæ ętatis periculis nihil periculoſum habent: ſed multa ad rerum fidem alibi non facilè reperienda. Vt proinde ad hiſtoriam temporis, tempora meritò ferant. Lovanii 18. Iunii. 1632.

MART. LVNECENIVS
Apoſtolicus ac Regius Libr. Cenſ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google